Digitized by Google

Digitized by Google

14960
1C·8·2bis p·1647

#

Rocca

(Ange)

341609

COMMENTARIVS PRO . RE . DOMESTICA ET NVMMARIA SALVTEQVE . ANIMARVM IN PRIMIS . CONSERVANDA

Ad Chriſtiani Orbis Vniuerſitatem

A Fr. ANGELO . ROCCHA
EPISCOPO . TAGASTENSI
& Apoſtolici Sacrarij Præfecto

DIRECTVS

CONTRA . LVDVM . ALEARVM CHARTARVM SCILICET AC TAXILLORVM

Iuxta Sacroſancta Concilia, Leges Canonicas, & Ciuiles, non ſolùm à Chriſtifidelibus,

Sed etiam ab Ethnicis iuxta Sanctiones Ciuiles vetitum, ac deteſtandum ob multa peccata, & damna, & quidem horrendiſsima,

Quæ ex Ludis illis abominandis ſuboriuntur.

Ludo tandem ingenioſo, & quidem honeſto, atq. omnibus licito pro animi recreatione, vel otio fugiendo in medium allato.

THEOLOGIA

PHILOSOPHIA

ROMAE,
Apud Guillelmum
Facciottum.

Superiorum Permiſſu.

Anno Domini
M.DC.XVI.

Stephanus Baluzius Tutelensis.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE • 1886 •
LYON

COMMENTARIVS CONTRA. LVDVM ALEARVM AD OMNIPOTENTIS. DEI AC. DEIPARAE. MARIAE SEMPER. VIRGINIS GLORIAM ET. AD. OMNIVM. SANCTORVM. HONOREM

Necnon

AD. REM. DOMESTICAM ET. NVMMARIAM,

SALVTEMQVE. ANIMARVM IN PRIMIS. CONSERVANDAM CONSCRIPTVS

ET. CHRISTIANI. ORBIS VNIVERSITATI DICATVS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896
BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE LYON

AVCTORES IN COMMENTARIO CITATI.

A

ABBAS Panormitanus Canoniſta.
Acron Grammaticus.
Alexander de Ales Theologus.
Alexander ab Alexandro Iuriſperitus.
S. Ambroſius Eccleſiæ Doctor.
Andreas Alciatus Iuriſconſultus.
Andreas Tiraquellus Iuriſconſultus.
Angelus de Clauaſio Auctor Angelicæ ſummæ.
B. Antoninus Epiſcopus Florentinus.
L. Apuleius Philoſophus Platonicus.

B

BArnabas Briſſonius Iuriſta.
Bartholomæus Fumus, Auctor Summæ Armillæ.
S. Baſilius Magnus, Theologus, & Epiſcopus.
S. Beda, Venerabilis nuncupatus.
Benedictus Auctor veteris caremonialis.
S. Bernardus, Abbas Clareuallenſis.
S. Bonauentura, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, & Eccleſiæ Doctor.

C

COncilia contra Ludum Alearum.
Generalia.
Concilium Conſtantinopolitanum.
Concilium Lateranenſe.
Concilium Tridentinum.
Prouincialia.
Concilium Aquileienſe.
Concilium Elibertinum.
Concilium Mediolanenſe.

M. P. Cato

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

M. P. Cato Stoicus Philoſophus Vticenſis.

Cæſarius Heiſterbachcenſis.

M. T. Cicero Orator inſignis.

Cornelius Tacitus Hiſtoricus inſignis.

S. Cyprianus Epiſcopus, & Martyr.

D

DIdacus Couarruuias.

S. Dionyſius Areopagita.

F

FEſtus Pompeius Grammaticus.

G

GAbriel Biel Theologus.

Gaſpar Vaſerus.

Gentianus Heruettus Orator.

Gregorius Sayrus.

Gregorius Tholoſanus I. V. D.

Guido Archidiaconus Bononienſis.

Guido de Baypho, vel Bayſio.

H

HEnricus Cardinalis Oſtienſis.

Herodotus Alicarnaſſeus.

S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor.

Horatius Poeta.

I

IAcobus Spiegelius.

Innocentius I I I. Pont. Max.

Ioannes Antonius Summontus.

Ioannes Azorius.

Ioannes Fungerus.

Ioannes Maria Verratus.

Ioannes de Salas.

Ioannes Sareſberienſis.

Ioannes Tritthemius, Scriptor inſignis.

Iodocus Clictoueus; & Lorichius.

S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis.

Iuſtinianus Imperator.

Iuuenalis Poeta.

L

LIuius Hiſtoricus inſignis.

Ludouicus Lopez.

M

MArtialis Poeta.

Martinus Doctor Na-

uarrus

uarrus Canoniſta.
B. Maximus.
M. P. Cato.
M. Terentius Varro.
M. Tullius Cicero.

N

Nicolaus Abbas Panormitanus Canoniſta.

O

Onuphrius Oſtecutus Epiſcopus Florentinus.
Ouidius Poeta.

P

Petrus Andreas Canonberius.
Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis.
Petrus Gregorius Tholoſanus I. V. D.
Petrus Paludanus Theologus.
Plato Philoſophus Athenienſis.
Philoſtratus Sophiſta.
Plinius Iunior.
Polydorus Virgilius.

T

S. Raymundus Canoniſta inſignis.
Raynerius Piſanus Theologus.
Renerus Budelius.
Ricardus de Media Villa Theologus.

S

Seneca Philoſophus Academicus.
Siluanus Razzius.
Silueſter de Prierio.
Suetonius Tranquillus.

T

Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus.
Titus Liuius Hiſtoricus inſignis.
S. Thomas Doctor Angelicus.
Thomas Caietanus.
Thomas Cantipratanus.

V

Varro. M. Terentius Varro.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

EGo Frater Gregorius Nunnius Coronel Luſitanus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſor, & Sacræ Theologiæ Doctor, ex commiſſione Reuerendiſſ. Patris Sacri Palatij Magiſtri, quàm maxima potui diligentia legi, & expendi hunc Commentarium de vetito Alearum ludo, compoſitum à Reuerendiſſ. Domino Fratre Angelo Roccha Epiſcopo Tagaſtenſi, & Apoſtolici Sacrarij Præfecto, in quo nihil reperi, quod vel Fidei Catholicæ, vel bonis moribus, Sacrorum Conciliorum Decretis, aut Sanctorum Patrum dictis (meo iudicio) repugnet: quin potius continet aliqua, quæ Authoris eruditionem, & pietatem non obſcurè oſtendunt; dictumque Commentarium impreſſione dignum reddunt. In quorum fidem, &c. Die xiix. Aprilis M. DC. XVI.

Idem qui ſupra manu propria.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Petronius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

COMMENTARIVS DE VETITO ALEARVM LVDO,

SVB QVO CHARTAE LVSORIAE, TESSERAE, Taxilli, vel Tali, & Orbiculi, necnon Tabulæ, ſiue Alueoli ob Taxillos, & alij Ludi comprehenduntur, in quibus fortuna dominatur.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

NOS de vetitis Alearum ludis, ac deteſtandis verba facturi, prius Ludorum nomina in Titulo propoſita explicare ſtudebimus; & Aleæ inuentorem apponemus; Deinde in medium afferemus Sacroſancta Concilia, Ciuiles, & Canonicas Leges, quibus dicti ludi ſub pœnis vetiti ſunt ob multa mala, quæ ex illis naſcuntur, horrendis Aleatorum euentibus ad ludum Alearum euitandum enarratis. Poſtremò in medium afferemus Doctores Sanctos, qui oſtendunt, quomodo in huius generis ludo peccatum mortale, & quidem graue contrahatur; necnon quonam modo, & quando lucrum in tali ludo factum, iuxta Diſtinctiones ad hanc rem pertinentes, quas afferunt in medium S. Thomas Doctor An-

gelicus, & alij Sancti Scriptores, & Doctores Theologi, reſtituendum omninò ſit; Alearumque loco animi recreandi, vel otium fugiendi gratia, Latrunculis, vel Scacchis interdum ludendum eſſe concludemus. Nam hoc ludo cuicumque homini,honore, ac dignitate præſtanti, vti licet, cum in eo humanum ingenium dominetur.

De Alearum nominibus.

ALEAE nomen quamuis pro omni ludo, qui in varietate fortunæ conſiſtit, ſumi queat iuxta ſententiam, vel opinionem aliquot Scriptorum, quorum è numero eſt Ioannes Azorius in Tertia parte Inſtitutionum Moralium,dicens: *Alea ludus comprehendit Ludum Chartarum Luſoriarum, Taxillorum, Tabularum, & Sortium*; propriè tamen, vt ait Iacobus Spiegelius, accipi ſolet pro Teſſeris,quæ Tali etiam,vel Taxilli, & vulgò Dadi vocitantur; Teſſeræ autem, Tali,vel Taxilli, & Cubi,vel Dadi ſunt idem, diuerſi verò quantum ad numerum laterum, & punctorum, quæ in lateribus Taxillorum

Azor. p. 3.l. 5.cap.24.

Spiegel.in ſuo lexico.

extant : Taxillorumq. vel Teſſerarum , ſiue Cuborum ludi à Platone de Legibus, & ab Ariſtotele in Rhetoricis πεττεῖα, pettìa, & κυβεῖα, cybia nuncupatur : Talus enim Cræcè πεττός , pettos, & κύβος cybos, dicuntur: hinc Tali, Teſſeræ, atque Alea, Cubi etiam appellantur , vt Ioãnes Fũgerus in ſuo Etymologico trilingui affirmat. Propterea non deſunt alij, qui Aleæ nomen pro Chartis luſorijs paſſim intelligendum eſſe velint. Alea itaq. ſumitur pro Talis, & Chartis Luſorijs , vt Polydorus Virgilius , & alij ſcribunt . Quoniam verò Alea ſumi ſolet, eodem Polydoro teſte , pro quouis etiam ludo, qui caſu potius, quàm arte gubernatur ; ille quoque metaphoricè dicitur , *Aleam iacere* , qui ſe periculo exponit . Emere item Aleam dicitur ille, qui incertæ rei futurę ſpem emit . Subire item Aleam , eſt periclitari , & obiectare ſeſe fortunæ dubiæ ; tractum ab Aleatoribus , qui in foro aleatorio variè agitantur, & repentè victores, repente victi , dubio euentu examinantur . Hinc Liuius ait : *Dubiam imperij, ſeruitijque Aleam ſubimus* . Extra autem omnem aleam aliquid eſſe dicimus, de quo dubium non eſt, ſed extra omne periculum , omnemq. controuerſiam illud eſſe conſtat .

Plato de Legibus. Ariſt. in Rhet.

Io. Fungerus in Etym. trilingui Chartæ luſoriæ .

Polyd. Virg. lib. 2. de Inuent. rerum pag. 121. cap. 13.

Alea metaphoricè ſumpta ex Spiegel. in Lexico .

Tit. Liu. lib. ab Vrbe .

Polyd. Virg. de Inuent. rerum lib. 2. cap. 13.

Par impar ludere.

Fuerunt etiam apud antiquos, Polydoro Virgilio teſte, alia ludorum genera, in quibus fortuna omninò dominatur, vt eſt illud, *Par impar ludere*, cum quis nummos manu occultat, petitque ab altero, *Par* ne, an *Impar* eorum ſit numerus. De hoc autem ludo, vt Suetonius Tranquillus refert, loquutus eſt Octauius Auguſtus, Aleæ indulgens, dum ad Filiam ſcripſit in hæc verba: *Miſi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos ſingulis conuiuis dederam, ſi vellent inter ſe poſt Cænam, vel Talis; vel Par impar ludere*. Huic autem ſatis adſimile illud eſt, quod fit per digitos, hoc eſt, cũ duo, clauſis manibus, vocantes certum numerum, ſubinde digitos porrigunt. Exempli cauſa; ego tres digitos, tu totidem. Ego autem quattuor nomino, tu verò ſex: Ita tu, qui numerum uocando, diuinaſti, iam viciſti. Sed quia digiti ita explicati ſubitò apparent; idcircò per Metaphoram, ſiue Tranſlationem, *Micare*, capitur pro digitis ſortiri, iuxta illud Varronis dicentis: *Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur*. Cicero item in libro ſecundo de Diuinatione ita inquit: Quid enim ſors eſt? idem propè modum, quod, *Micare*, quod *Talos iacere*, quod *Teſſeras*. Huius generis ludus Italis

Sueton. in Auguſto.

Par Impar ludere.

Varro de lingua latina.

Cic. lib. 2. de Diu.

eſt

eſt notus, vulgòq. *Mor*, vel *Morra* vocitatur, quaſi μωρία, ideſt, ſtultitia, quòd ſcilicet digitorum iactatio, ſignum ſit leuitatis, & vulgò dicitur: *Giocare alla morra*; Latinè autem *Micare digitis*, ſiue ludere *Par impar*, vti dictum eſt. Ideò virum grauem huiuſmodi ludus non decet, quo tamen non niſi infimi ſtatus homines hodie vti ſolent. Nunc reliquum eſt, vt Alearum Inuentorem oſtendamus.

Morra vnde dicatur, & quid ſit.

De Alearum inuentione, ac nomine.

ALEAE ludus, vt S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ait, inuentus fuit à Græcis in otio Troiani belli à quodã Milite nomine, *Alea*, à quo & ars, & nomen accepit. Vel, vt inquit Philoſtratus in Heroicis, Palamedes Teſſerarum, ſiue Talorum inuentor, in Caſtris Græcorum contra Troianos, dum otia Miles ageret, *Aleam* inuenit. Ioannes autem Seroſberienſis in Policratico, ſiue in libro de Nugis Curialium, & Veſtigijs Philoſophorum, Alearum Inuentorem Athalum Aſiaticum fuiſſe ſcribit. Vel fortaſſe, vt nonnulli aiunt, dictus Aleæ ludus ita nuncupatus fuit, eo quòd fuerit inuentus in quadam Arcadiæ Ciuitate, quæ

Iſidor. in Etymolog. lib. 18. cap. 57.

Miles Alea dictus.

Philoſtratus.

Io. Seroſberienſ. l. 1. c. 5.

Athalus Alearum Inuentor.

Alea Vrbs. Arcadiæ.

Alea

Herod. in l. 1 Muſarum & 9.
Alea Mineruæ cognomen.
Alea Græcè quid.
Plato in Phædro.
Dæmon quid
Theut multarum rerum Inuentor.
Herod. in Clio lib. 1. pag. 45.
Lydi Alearũ Inuentores.

Alea nuncupatur. Sicut etiam (teſte Herodoto) *Alea* fuit cognomen Mineruæ, quæ circà eamdem Arcadiæ Vrbem, *Aleam*, colebatur. Alea enim pro ludo ſumpta originem, aut ſignificationem non trahit à Gręco fonte: nam Alea Ἀλέα Græcè dicta, calorem, vel feruorem ſignificat, ſiue locum apricum, & ſoli expoſitum: niſi dicamus dictum ludum à Græcis vocitatum eſſe *Aleam* ob nimium lucrandi feruorem, quo Aleatores in ludendo agitantur; Ardor enim tantus ineſt luſoribus, vt nudati omnem verecundiam perdere videantur. Plato in Phædro, vel in Dialogo de Pulchro refert, quemdam Aegypti Dæmonẽ, hoc eſt, vt vox Græca ſignificat, Sapientem nomine *Theuth* primum omnium Numerum, & Numeri computationem, Geometriam, Aſtronomiam, Talorum, & Alearum ludos, atque litteras inueniſſe. Herodotus autem in libro Muſarum primo, ideſt in Clio, Lydos primos *Aleæ, Teßerarumque* ludum, hoc eſt, *Talorum*, vel *Taxillorum*, qui vulgò *Dadi* vocitantur, & cetera ludorum genera, præterquam *Calculorum*, ſiue *Latrunculorum*, qui vulgò *Scacchi* dicuntur, excogitaſſe ſcribit; Latrunculorum enim ludum ſibi non vendicant Lydi.

Vt cumque verò ſit, *Alea*, pro quouis ludo,

qui

qui caſu potiùs, quàm arte gubernatur, ſumi ſolet, præſertim verò pro Chartarum, vel Teſſerarum, vel Taxillorum ludo, in quo fortuna dominatur, vt Scriptores affirmant omnes. Quamuis autem Alearum, ideſt, Chartarum, ac Taxillorum ludus ſecundum ſe, & ex propria ratione ſua malus non ſit, nec peccatum; ex adiunctis tamen malis circumſtantijs redditur malus, & mortale peccatum, atque ſatis graue, hoc eſt, ſi ei ludo quaſi ex officio inſeruiatur; necnon ſi dilectioni DEI, & Proximi præponatur; ſi tempore, ac loco, quo alia bona opera fieri debent, exerceatur ludus ipſe; ſi etiam cum fraude, mendacio, rixa, contentione, iuramento, periurio, aut blaſphemijs ſocietur; Vel ſi denique neceſſaria Familiæ, ludo exponantur; Aut cum ſimilibus alijs, prauis videlicet circumſtantijs coniungatur. Et quia frequenter Taxillorum, & Chartarum ludus cum hiſce circumſtantijs maiis exerceri ſolet, hinc etiam frequentius redditur malus, & cum peccato mortali exercetur. Qua ratione ludus ipſe mirum in modum à Doctoribus ſanctis improbatus, & damnatus, ac denique à Sacroſanctis Concilijs, nec non à Ciuilibus, & Canonicis Legibus non ſolum apud Chriſtianos, ſed etiam apud Ethnicos

Alearum ludus quomodo malusred datur.

iuxta eorumdem legem, & iure quidem, vetitus inuenitur.

Alearum ludus Ciuilibus Legibus, etiam ab Ethnicis vetitus, & maiorem in modum damnatus.

Horat. lib. 3. Carm. Ode 24.

HORATIVS ille Flaccus Poeta in tertio Carminum libro Ode vigeſimaquarta prohibitionem Alearum hiſce indicauit verbis:

Neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer;
Venariq. timet, ludere doctior,
Seu Græco iubeas trocho,
Seu malis, vetita Legibus Alea.

Aleæ ludus ab Ethnicis vetitus.

Lib. 2. Car. Ode 1. Lib. 1. Epiſt. ad Lolliũ Epiſt. 18.

Martial. in Diſtich.

Iuuenal. Satyra 24.

Hæc Flaccus, qui in ſecundo Carminum libro bellum propter incertum euentum *Aleam* appellat *periculoſam*. Et in libro item primo Epiſtolarum *eam præcipitem nominat, ad homines nudandos aptam*. Martialis item, & Iuuenalis eam damnoſam, ac turpem vocitare ſolent. Hinc Licinius, Antonij colluſor, Alea condemnatus apud Ciceronem inueni-

tur

tur in hanc verborum formam: *Licinium Lenticulam de Alea condemnatum, colluſorem ſuum reſtituit: quaſi verò ludere cum condemnato non liceret, ſed vt, quod ille in Alea perdiderat, beneficio legis diſſolueret.* Et infra: *Hominem omnium nequiſsimum, qui non dubitaret, vel in foro Alea ludere, legè, quæ eſt de Alea, condemnatum, qui in integrum reſtituit, is non aptiſsimè ſtudium ſuum ipſe profitetur?* Propterea ſcribens in Catilinam, Aleatores inter homines infamiſſimos connumerat, dum ait: *In his gregibus omnes Aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq. verſantur*; & in Philippicis contra Antonium inquit: *Domus erat Aleatoribus referta, plena Ebriorum.* Ouidius item lib. 1. de Ponto, Elegia 6. dum Aleæ luſus naturam contemplatur, *eam blandam, ſed fallacem nominat, quoniam ipſa, ſpe futuri lucri, ſemper allicit; victorem quidem, vt in proſperum iam ſucceſſum vrgeat: Victum ſpe ſarciendæ iacturæ.* Hæc Ouidius ad ſenſum Ariſtotes denique in 4. Ethicorum libro cap. 1. Aleatores vehementer inſectatur, dum eos inter fures, & latrones connumerat hiſce verbis: *Aleatores (inquit) & fures, atque latrones illiberales ſunt. Turpi enim verſantur in lucro. Omnia namque cauſa quæſtus agunt & ſuſtinent probra. Atque fures quidem capien-*

Cic. in Ant. Phil. 2. to. 2.

Cic. vbi ſup.

Aleæ ludus ab Ethnicis prohibitus.

Cic. in Cat. or. 2. to. 2.

Idem Cic. in 2. Phil. to. 2.

Ouid. lib. 1. de Ponto Eleg. 6. & lib. 4. Eleg. 2.

Ariſt. lib. 4. Ethic. vel Moralium Nicomachiorum cap. 1.

di gratia, maxima pericula ſubeunt; Aleatores autem ab amicis, quibus dare oportet, lucrantur, Vtriq. vnde non oportet, lucrari volentes, turpi in lucro verſantur. Et omnes tales accipiendi actus illiberales ſunt. Hæc dicto in loco Ariſtoteles.

Senecæ prouerbium.

Nec ſilentio prætereundum videtur dictum illud, quod in Prouerbijs, quæ Senecæ adſcribuntur; in hanc legitur verborum formam: *Aleator* (inquit) *quantò eſt in arte melior, tanto eſt nequior.* Quamuis autem Seneca, qui tempore Sanctorum Apoſtolorum floruit, quatenus Philoſophus, & Orator inſignis fuerit, & Neronis Magiſter, eum tamẽ S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum inter Sanctos recenſet hiſce verbis: *Senecam non ponerem in Catalogo Sanctorum, niſi me illæ Epiſtolæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum; in quibus, cum eſſet Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit eius eſſe loci apud ſuos, cuius ſit Paulus apud Chriſtianos. Hinc ante biennium, quàm Petrus, & Paulus Martyrio coronarentur, à Nerone interfectus fuit.* Hæc ex Hieronymo Sancto decerpſi, vt Senecæ Prouerbium præclarius reddatur.

S. Hieronymus.

Senecæ Epiſtolæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam.

Infamis denique apud Ethnicos fuit Aleatorum ludus. Hinc Octauius Cæſar

Au-

Auguſtus, cum adhuc Iuuenis ludo Alearum operam daret, ignominiam contraxit, vt explicant Verſiculi de eo vulgati apud Suetonium in Octauio hiſce verbis:

Poſtquam bis claſſe victus naues perdidit,
Aliquando vt vincat, ludit aſsiduè Alea. Suet. in Octauio pag. 31. 32.

Hoc tamen vitium ſenex emendauit: nam eo tempore Talis, & Alea ludebat, ſed tantum oblectamenti cauſa inter cænam, ſicut etiam Petrus Gregorius Tholoſanus refert in tertia Syntagmatis Iuris vniuerſi parte, lib. 39 Petrus Greg. Tholoſ. p. 3. pag. 62.

Omnibus hiſce de cauſis Alearum ludum ab Ethnicis vetitum fuiſſe legimus. Nunc reliquum eſt, vt videamus, quid à Chriſtifidelibus contra turpem, & damnoſum, blandum, & fallacem Alearum ludum factum legatur. Lib. 1. Codicis Tit. 6.

Alearum Ludus à Chriſti Fidelibus vetitus.

QVamuis ex primi Libri Codicis, nona Iuſtiniani Imperatoris Authenticorum collatione, lege XVII. de Sanctiſſimis Epiſcopis, Titulo, *Alearum*, ludus Iuſtin. De Epiſc. & Clericis Auth. coll. 9. lege 17.

iſte explicitè vetitus non legatur, implicitè tamen per ludũ Tabularum, ludus item Alearum eo in loco prohibitus cenſetur, dum §. *Interdicimus*, omnibus Eccleſiaſticis viris, non ſolum ad Tabulas ludere, ſed etiam ludentes inſpicere interdicitur: Tabularum namque ludus, veluti etiam Alea eſt; propterea vetitus fuit, quia in eo plus fortunæ, aut ſorti, quàm ingenio, aut corporis viribus tribui ſolet, & iure quidem. Ideo non ſolum Clericis, vel Eccleſiaſticis viris, *Sed etiam Laicis omnibus*, (vt ait Nauarrus, explicans dictam Iuſtiniani Imperatoris collationem) *interdicitur ludus Aleæ in vniuerſum, per quem ſignificatur omnis ludus principalius nitens ſorte, aut caſu, quàm induſtria, & arte, ex mente omnium: de quibus eſt ludus ad Tabulas per dictam Auth.* §. *Interdicimus, Tit. 6. de Sanctis Epiſcopis coll. 9. vnde illa ſumitur; qui licet multum nitatur induſtria, magis tamen fortuna. De quibus videntur etiam eſſe ludi Chartarum luſoriarum, quorum aliqui magna quidem induſtria nituntur, ſed maiori fortuna.* Hæc ad Verbum Nauarrus, *qui tamen infra, & alio in loco Talos, & Chartas luſorias, ſine vlla culpa etiam veniali à Clericis, Religioſis, & Monachis exerceri poſſe ait ob cauſam honeſtam, hoc eſt, ad excitandum, vel recreandum ſocium*

Nàuarrus in Man. cap. 19. nu. 6. & ſeq. pag. 274. nu. 6.

De nono præcepto Decalogi Auth. vt ſup.

Nauarr. vbi ſup. n. 3. & 6.

Alearum ludus quomodo concedatur Nu. 6. Lucrum Alearũ quomodo ſoluẽdum.

ægrotum, ea re indigentem, modo non frangat legem vllam ad mortale peccatum obligantem; aut etiam honeſti tantum ſolatij cauſa, & paruo quidem tempore, à prandio ſcilicet, vel à cœna, nullius rei pecuniariæ lucro propoſito, vel ſolum alicuius eſculenti, vel poculenti, quod bis lucrifactum ſemel ſoluatur; vel Spirituali lucro precum aliquarum pro vincente à victo dicendarum. Hæc ex Nauarri Manuali Confeſſariorum cap. 19. nu. 6. de nono Decalogi præcepto, in quo de ludorum generibus vetitis, & conceſſis non niſi iuxta Legum normas loquitur præſcriptas. Nec tamen ipſe Nauarrus intelligit, prædictum ludum ex eo ſolum eſſe malum, & prohibitum, quia magis fortunæ, quàm induſtriæ nititur; ſed quia, vt initio dictum eſt, cum prauis etiam exercetur circumſtantijs.

Lucrum precum cap. 19. nu. 6.

Alearum Ludus à Iuſtiniano Imperatore vetitus.

QVOD denique Alearum item ludus à Iuſtiniano Imperatore vetitus expreſsè fuerit, ex tertio Codicis libro conſtat, Tit. 43. Lege xv. in qua hæc leguntur verba: *Alearum luſus antiqua res eſt, & extra ope-*

Iuſtin. Cod. lib. 3. Tit. 43. Lege 15. Alearum luſus antiquus.

operas pugnatoribus conceſſa. Verum pro tempore prodijt in lacrymas multa millia extraneorum Nationum ſuſcipiens. Quidam enim nec ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantum, proprias ſubſtantias perdiderunt, die, noctuque ludendo argento, apparatu, lapidibus, & auro. Conſequenter autem ex hac inordinatione, blaſphemare, ideſt, DEO maledicere conantur, & inſtrumenta conficiunt. Commodis igitur ſubiectorum proſpicientes, hac generali Lege decernimus, vt nulli liceat in publicis, vel in priuatis domibus, vel locis ludere, neque inſpicere, & ſi contrà factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab ijs, qui dederunt, aut eorum hæredibus; aut his negligentibus, & eorum Procuratoribus; vel Patribus, ſeu Defenſoribus, repetat Fiſcus, non obſtante, niſi quinquaginta annorum præſcriptione; Epiſcopis locorum hoc prouidentibus, & Præſidum auxilio vtentibus. Deinde verò ordinent quinque ludos, Comombelon, Comondiaulomolō, Rhindalca, Kayron, Ecperuſan: ſed nec permittimus etiam in his ludere vltra vnum ſolidum, etiam ſi multum diues ſit; vt ſi quem vinci contigerit, caſum grauem non ſuſtineat. Non enim bella ſolummodo benè ordinamus, ſed & res ludicras. Hæc Iuſtinianus, qui poſt prohibitionem Alearum, in quibus omninò ſors, aut

Lucrum in Alea factum reſtitui debet.

Annorum 50. præſcriptio.

Ludi a Iuſt. conceſsi.

Lucrum in ludis conceſsis notandum.

fortu-

fortuna dominatur, dicta ludorum genera, in quibus induſtria, & ars dominium habent, concedit, aut permittit exercenda ſub ſolidi vnius præmio ei, qui vincit, dando.

Ludi cōceſſi artem, & induſtriam, corporiſq. fortitudinem reſpiciunt.

Tempore autem Iuſtiniani Imperatoris, & aliorum Cæſarum nomina Aureorum, & Solidorum indifferenter ſumebantur, ſicut affirmat Renerus Budelius in libro primo de monetis; Gaſpar Vaſerus in libro ſecundo de antiquis nummis; Briſſonius in primo libro de ſignificatione verborum Iuris, necnon alij in Commentario, ſeu Lexico verborum Iuris. Hinc Solidus hoc in loco pro aureo ſumendus cenſetur. Quamuis autem aureus vetus maioris pretij, ac ponderis fuerit, quàm aureus, quo nunc vtimur; ille tamen in Iure Ciuili nominatus, ad noſtrum referendus eſt, vt Andreas Alciatus in Commentario de Iuris verborum ſignificatione ait in hæc verba: *Nobis videtur aureum, quo hodie vtimur, ex generali omnium Populorum conſuetudine eſſe veteri illi ſubrogatum: & ideo quæ de ſolido in Iure Ciuili cauta ſunt, ad noſtrum hunc, quamuis leuioris ſit ponderis, referenda ſunt.*

Solidus, quęnam fuerit moneta.

Bud.

Vaſer.

Briſſon.

Alciatus.

Iſtuc ferè ipſum ſcriptum reliquit in ſuo Lexico Iacobus Spiegelius hiſce verbis: *Licet aureus, qui hodie in vſu eſt, minoris ſit æſtima-*

Iacob. Spiegel. in voce Solidus.

tionis, cum nonaginta ſex ex eis libra contineat; Alciato tamen videtur, aureum, quo hodie vtimur, ex generali omnium populorum conſuetudine eſſe veteri illi ſubrogatum: & ideo quæ de ſolido in Iure ciuili cauta ſunt, ad noſtrum hunc, quamuis leuioris ſit ponderis, referenda cenſentur. Hæc de ſolido, pro aureo in lege Iuſtiniani circa illa quinque ludorum genera comprehenſo mihi dicenda videbantur.

Codicis lib. 3. tit. 42. lege 15.

Huius generis fuiſſe reor ſolidos illos, qui Eccleſiaſticis viris etiam S. R. E. Cardinalibus, & Summo Pontifici in aliquibus Feſtiuitatibus, vel Feſtis diebus ob actiones laborioſas in Eccleſijs præſtitas, & expenſas, atque dignitates olim dari ſolebant, vt legitur in manuſcripto Cæremoniarum libro, quem (Guidone de Tiferno, ideſt de Ciuitate Caſtelli, S. R. E. Cardinale poſtulante, qui poſtea Anno Dom. 1143. ad Summum Pontificatum aſſumptus, & Celeſtinus II. dictus fuit) Benedictus Canonicus S. Petri Anno Dom. 1140. Romæ conſcripſit. In eo libro narratur, quot cuiq. dari ſolebant ſolidi iuxta cuiuſcumque functiones, ac dignitates. Maior autem ſumma erat viginti Solidorum, & hæc non niſi Summo Pontifici dari ſolebat. Ex hoc per antiquo Ritu originem traxiſſe vide-

Liber Cæremoniarũ antiquus aſſeruatur in Bibliotheca Angelica Romæ.

Benedictus Canonicus S Petri Anno Dom. 1140.

tur

tur mos ille, qui hodie obſeruatur, quando Summus Pontifex Miſſam ſolemniter cantat: tunc enim Miſſa celebrata, S. R. E. Cardinalis Archipresbyter Baſilicæ S. Petri, nomine Canonicorum, totiuſque Capituli, dat ei pro Miſſa benè cantata, aliquot Iulios argenteos antiquiores, & alias monetas, item argenteas ex antiquioribus, quæ inueniri poſſunt, iuxta tamen valorem circiter viginti, vel interdum triginta Iuliorum ad ſummum. Hæc per digreſſionem, occaſione ſatis bellè ſeſe oblata, mihi dicenda viſa ſunt in declarationem illius monetæ, quæ *Solidus* nuncupatur in Codicis libro, in quo nominantur quinque ludi a Iuſtiniano inuenti, & conceſsi.

Ritus antiquus in Miſſa à Summo Pontifice ſolemniter cãtata.

Quænam autem ſint illa ludorum genera, non ſatis conſtat, Alciato Teſte, qui hunc locum ſalèbroſiſsimum, ideſt, difficillimum eſſe ait, ob voces quinque ludorum fortaſſe corruptas, & hanc ob cauſam ipſa ludorum genera per coniecturam Alciatus interpretatur. Gloſſator autem dictæ Legis, facit mentionem de quattuor tantum ludis, in quibus non niſi induſtriam, & fortitudinem corporis dominari oſtendit, dicens: *Comombelon eſt ludus, vbi lapis in longum proijcitur; Comomdiaulomolon eſt ludus, vbi lapis, vel palus in breue ſpatium*

Comombelon, Comondiaulomolõ, Rhindalca, Ecperuſan.

C *proij-*

proijcitur : Rhindalca eſt ludus, vbi equites currendo in rem certam proijciunt : Ecperuſan eſt ludus, vbi pondus dentibus eleuatur. Hæc Gloſſator (Ludo, *Kayron*, prætermiſſo) de ludis à Iuſtiniano Imperatore inuentis, & conceſsis, qui quãuis ad ſolam induſtriam, & fortitudinem corporis pertineant, in eis tamen vltra Solidum, vel Aureum ludere non permittit, etiam ſi ludentes ditiſsimi forent.

Quoniam verò quinque ludorum genera à Iuſtiniano conceſſa, ab ipſa ſorte, aut fortuna ſunt aliena, illa à ſola corporis fortitudine, ingenijque arte, ſiue humana induſtria, vt etiam Gloſſator oſtendit, dependere dicamus, oportet, cuiuſmodi etiam ſunt ludi Latrunculorum, Pilæ, ac Trochi, idque genus alij. Alearum itaque ludum à Iuſtiniano Imperatore Ciuili Lege vetitum fuiſſe, ac lucrum in eo factum reſtituendum eſſe conſtat, vt infra, & fuſius quidem oſtendemus.

Vide infra in Quæſito 2

Alearum ludus Canonica Lege, atque Concilijs vetitus.

ISTVC ipſum Canonica lege, ſed pœnis præſcriptis factum reperitur in prima Decreti parte Diſt. 35. cap. 1. ex Apoſtolorum Canone 43. deſumptum hiſce verbis: Decret. p. 1. D.35.c. 1.

Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, Aleæ, atque ebrietati deſeruiens, aut deſinat, aut certè damnetur, ideſt, deponatur ab officio, vel beneficio; vel ſuſpendatur ab vſu Ordinis Sacri, vt Gloſſator interpretatur. Similiter (inquit) Clerici, & Laici ſi permanſerint in Alea, Communione priuentur, hoc eſt, excommunicentur. Nota verbũ, deponatur. Communionis priuatio eſt excommunicatio.

In libro item Canonum Sanctorum Apoſtolorum à Græca Lingua in Latinam translato à Gentiano Herueto, ac Theodori Balſamonis Patriarchę Antiocheni Commentarijs explicato, hæc in Canone Quadrageſimo ſecundo leguntur: Can. 42.

Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus
Aleis, ebrietatibus vacans;
Vel ceßet, vel deponatur.

Can. 43. In Canone Quadrageſimo tertio ita legitur:

Hypodiaconus(hoc eſt Subdiacon[9]) *vel Lector,*
Vel Cantor ſimilia faciens,
Vel ceſſet, vel ſegregetur.
Itidem & Laicus;
Ideſt, eodem modo Laicus.

Segregetur, ideſt, Communione priuetur.

Decr. p. 1. Diſt. 35. c. 1.

Idem legitur in prima Decreti parte Diſt. 35. cap. 1. hiſce verbis:

Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus,
Aleæ, atque ebrietati deſeruiens,
Aut deſinat, aut certè damnetur.
Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor
Similia faciens, aut deſinat,
Aut communione priuetur;
Similiter etiam Laicus.

Synod 6. Cōſtantin. politana 3. can. 50. to. 3. ex vet. & recentioribus impreſsis.

Idem quoque de Aleis ſub ijsdem ferè verbis vetitum reperitur in ſexta Synodo generali, ac tertia Conſtantinopolitana, in qua hæc leguntur verba: *Nullum omninò, ſiue Clericum, ſiue Laicum ab hoc deinceps tempore Alea ludere deceat: ſiquis autem hoc deinceps facere ab hoc tempore aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus deponatur, hoc eſt, ab officio, vel beneficio; ſi Laicus ſegre-*

getur;

getur; ideſt, excommunicetur.

Segregetur, ideſt, excommunicetur.

In Concilio Elibertino Prouinciali circa tempora Silueſtri Papæ Primi, & Nicæni Concilij celebrato, cap. 79. ita legitur: *Si quis fidelis Alea, ideſt, Tabula luſerit, placuit, eum abſtinere; & ſi emendatus ceſſauerit, poſt Annum poterit communione conciliari.*

Concilium Elibertinum. To. I.

In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio cap. 16. & in lib. 3. Decretalium hæc leguntur: *Ad Aleas, vel Taxillos Clerici non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint.*

Tridentina item Synodus, quæ ſub Paulo Tertio Anno Chriſti Dom. 1542. inchoata, ſub Iulio Tertio continuata, ac denique ſub Pio Quarto abſoluta fuit, in Seſsione vigeſima ſecunda cap. I. de Reformatione, dum de vetito Alearum ludo, necnon de rebus, quæ viris Eccleſiaſticis prohibitæ ſunt, ſermonem habet, in hanc loquitur verborum formam: *Statuit ſancta Synodus, vt quæ alias à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, Aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſecularibus negotijs fugiendis copiosè, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum ijſdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis, obſeruentur; nec*

Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. I. de Reform.

Summorum Pontificum, & Conciliorum Decreta confirmãtur.

appel-

appellatio exequutionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinent, ſuſpendat. Siqua vero ex his in deſuetudinem abiiſſe compererit, ea quàm primum in vſum reuocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri ſtudeat, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque; ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſe condignas, DEO vindice, pœnas perſoluat.

Decreta deſueta in vſum reuocanda ſunt.

Hæc dicto in loco Tridentina Synodus, quæ confirmat illa omnia, quę à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs olim ſancita fuerunt circa Clericorum reformationem, præſertim verò circà vetitos Alearum ludos, dum illa omnia olim ſancita ſub iiſdem, vel etiam maioribus pœnis, Ordinarij arbitrio imponendis, obſeruanda omninò eſſe decernit; ita verò, vt ſiqua ex illis in deſuetudinem abiiſſe Ordinarius inueniat, ea quàm primum in vſum reuocare diligenter ſtudeat abſque vlla interpellatione, nulla ſcilicet appellatione admiſſa, quæ ipſam exequutionem impedire queat, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque. Quamuis enim huius generis conſuetudo, quæ potiùs corruptela, quàm conſuetudo vocitari debet, à Superioribus recenter non prohibita, à pœna temporali excuſaret, à pœna tamen gehennali non excuſat, tum propter prohibitionem antiquitus fa-

Tridentina Synodus.

Conſuetudo ludendi non excuſat à pęna gehennali.

ctam

ctam,tum etiam ob tanta mala, & ſcelera,quæ ex tali corruptela naſcuntur .

In Concilio Mediolanenſi Prouinciali, quod tempore Pij IV. Sanctus Karolus Borromæus, tunc S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. Sanctæ Praxedis, & Legatus ad vniuerſam Italiam, necnon Archiepiſcopus Mediolani Anno Dom. 1565. celebrauit; Principes, & Magiſtratus commonentur, vt Alearum, ac Taxillorum ludos prohibeant. Hinc poſt multa à Finibus eorumdem propellenda, de Alearum, ac Taxillorum ludis prohibendis, & expellendis loquitur in hæc verba: *Et quoniam vſu compertum eſt, ex Aleæ ludo ſæpe furta, rapinas, fraudes, blaſphemias, aliaque id genus flagitia proficiſci, prohibeant Taxillis, aut Alea ludi; & grauiter in publicos Aleatores, & in eos, qui huiuſmodi ludis interſunt, quiue domum ad recipiendos ludentes expoſitam habent, animaduertant.* Hæc dicto in Concilio de Taxillorum, & Alearum, ſiue Chartarum ludis ad Principes, & Magiſtratus. Quæ cum ita ſeſe habeant contra Laicos Aleatores, multò magis intelligenda ſunt contra Clericos, & alios Viros Eccleſiaſticos, qui, vel dictis ludis operam nauant, vel interſunt, cum tot flagitia, & calamitates ex ijs oriantur.

Concil. Mediolanenſ. in to. 4. Coloniæ impreſſo Anno Dom. 1606. pag. 907.

Alias, atque.

Animaduertant, ideſt puniant.

Concil. Aquileienſe 1. in to. 4. Coloniæ impreſſo Anno Dom. 1596. pag. 1098.

In Concilio denique Aquileienſi, quod tempore Clementis Papæ Octaui Anno Domini 1596. celebratum fuit, Taxillorum, & Alearum ludi, præſertim verò Clericis, eorumdem luſorum calamitatibus, & flagitijs enarratis, & penſitatis, verbis hiſce omnino prohibentur: *Alearum, & Taxillorum vſum, quo tempus miſera iucunditate teritur, Clericis omnibus inhibemus: multo verò grauius, ſi non modo luſerint ipſi, ſed alijs ludendi poteſtatem fecerint, parato loco, & domeſtico diuerticulo. Epiſcoporũ verò vigilantia, & prudentia, edictis, ac pœnis propoſitis, opportunum erit remedium adhibendum, vt peſtis auertatur, qua miſerorum facultates ſuaui morbo exhauriuntur, blaſphemiæ, & rerum deſperationes excitantur; cupiditatum intemperatiorum, & fraudum oblectamenta aluntur, denique ipſa DEI Clementia aſſiduè offenditur: qui tanto periculoſior morbus eſt, quantò ardentius interdum animos Clericorum occupat, & Eccleſiaſticas opes*. Hæc dicto in Concilio. Nunc reliquum eſt, vt videamus, quid à Scriptoribus Sanctis, & alijs hac de re ſcriptum reperiatur.

Scriptores Sancti, & alij contra Ludum Alearum.

DE Alea & Aleatoribus loquitur Sanctus Cyprianus Epiſcopus Carthaginéſis & Martyr, multiſque argumentis, Aleę ludum pulchrè impugnat, & Chriſtiano homine minimè dignum, ex eo probat, quòd Diaboli cum Idololatria inſtitutum ſit, multoque magis in Presbyteris vituperandum. Et poſt multa inter alia mala in Tractatu de Aleatoribus, hæc recenſet dicens: *Alea eſt, quam lex odit: Alea eſt, quam ſequitur crimen ignobile, vbi manifeſta tentatio, & pœna occulta. Alea eſt Alueus mali, & ſupplantatio amici, quæ nec lucrum confert, ſed totum conſumit. Hinc deinde pauperes fiunt, hinc opes ſuas perdunt, hinc iam conſumptis omnibus ſuis mutuis pecunijs ſe ſubruunt. Hinc patrimonium ſine vlla fori calumnia amittunt.* Et infra: *Alea ne luſeris, vbi luſus nociuus eſt, & crimen mortale; vbi dementia ſine conſideratione; vbi nulla veritas, ſed mendaciorum mandra.* Hæc Sanctus Cyprianus in Tractatu de Aleatoribus.

S.Cypr. to.3. pag. 491. in arg. Tractat.

Vide infra in Epilogo, & Concluſione.

Diaboli inſtitutum.

Alea eſt alueus mali.

Mortale crimen eſt Aleais ludus.

Mendaciorum mãdra.

Sanctus item Baſilius Magnus de Teſſeris,

S. Baſilius in Homilia 8. Hexaëmerô.

& Aleis ita loquitur : *Iuramenta ſunt in Teſſeris, & Aleis, contentionesque pergraues, & auaritiæ partus. Spiritus malignus aſsiſtit, furorem punctis oſsibus illis ludentium, inſaniaſque accendens, eaſdem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert. Atque modò hunc victoria effert, illum victum mæſtitia premit : modò contrà, illum elatum, hunc demiſſum oſtendit.* Hæc Sanctus Baſilius de Teſſerarum, Alearumque ludis.

B. Maximus in Clictoueo

Beatus denique Maximus, vt Clictoueus de vera nobilitate ait, poſtquam ad mentem redijt ſaniorem, nihil magis, quàm ſeſe Alea luſiſſe deplorabat. Vt autem multa vno ferè verbo complectamur; omnia Iura diuina, & humana ludos Alearum mirum in modum execrantur.

Sanctus Raymundus de Peniafort Ordinis Prædicatorum, diffusè ſcripſit contra Ludum Alearum vetitum, vt infrà in primo videbimus Quæſito, in quo multa, & ſcitu quidem digna enarrantur.

Vide infra in Quæſito 1.

S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis lib. 19. Etymologiarum cap. 64. ita de Aleæ ludo inquit : *Ab hac arte fraus, & mendacium, atque periurium numquam abeſt : poſtremò, & odium, & damna rerum. Vnde, & aliquando propter hæc ſcelera interdicta legibus fuit.*

S. Iſidorus lib. 18. cap. 64.

Notandum.

Ioan-

Ioannes item Saresberienſis, & Epiſcopus Carnotenſis in libro, qui inſcribitur Polycraticus, vel de Nugis Curialium, & veſtigijs Philoſophorum, dum in primo libro cap. 5. de vſu, & abuſu Alearum loquitur, eum multorum malorum eſſe cauſam affirmat in hanc verborum formam: *Quis enim non erubeſcat, ſi ſortis ſuæ gratiam non virtuti debeat, ſed Taxillis? Quis fritilli cautelam ſuæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonne ſatis improbata eſt cuiuſque artis exercitatio, qua quantò quiſque doctior, tantò nequior? Aleator quidem omnis hic eſt; Mendaciorum ſiquidem, & periuriorum mater eſt Alea, & ex aliena concupiſcentia, ſua prodigit, nullam habens Patrimonij reuerentiam; cum illud effuderit, ſenſim in furta delabitur, & rapinas.* Hæc Ioannes Saresberienſis.

Io. Saresb. lib. 1. c. 5.

Notandum.

Alea eſt mẽdaciorum, & periuriorum mater.

Alias, dilabitur.

Hiſce igitur de cauſis, hoc eſt, ſub relatis malis circũſtantijs huius generis Ludi, ſortem, aut fortunam ſibi vendicantes, euitandi omninò ſunt, ac deteſtandi, tam à Laicis; quàm à Clericis, hoc eſt, aliquo Clericali ordine inſignitis, præſertim verò ab ijs, qui aliquod beneficium Eccleſiaſticum habent. Hi enim ludis operam dantes, reditus in vſum pium dicatos, in vſum prophanum, & vetitum quidem conuertunt. Dicendum eſt ergo cum

Catonis dictum. Catone : *Aleas fuge*, hoc eſt, Ludum omnem fortunæ damnoſum, in quo pecunia perditur, viſus caligatur, cupiditas excitatur, iracundia prouocatur, homicidium perpetratur, ſicut ex ijs, quæ à nobis húcuſque ſcripta ſunt, & ſcribentur, iuxta horrendorum euentuum exempla, quæ ex ludis Alearum ſuborta fuerunt, vt infra videre licet.

Exempla horrendorum euentuum ex ludis Alearum ſuborta.

HINC interdum Alearum luſores ob deperditam pecuniã poſt horrendas blaſphemias, adducti fuerunt, vt ſacras Imagines etiam blaſphemãdo percuſſerint, nonnullique violentam mortem fuerint conſecuti. Huiuſce deſperationis, & impietatis exempla diuerſis in locis eueniſſe conſtat.

Romæ namque Porticus erat ad eam partem, in qua nunc eſt Eccleſia, quæ Sancta Ecclesia S. Mariæ de Pace. Maria de Pace nuncupatur. In eadem porticu, muro picta extabat ſacra Beatæ Mariæ ſemper Virginis Imago, quæ à quodam Aleatore, pecunia in Aleæ ludo deperdita, poſt

blaſ-

blaſphemias horrendas, ac Dæmonis inuocationem, quater ſaxo percuſſa, ter videlicet in facie, ac ſemel in pectore, ſanguinẽ ex ijſdem locis emiſit, vt in eadem cernitur Imagine, quæ aſſeruatur dicta in Eccleſia, olim ſub nomine Parochialis Eccleſiæ Sancti Andreæ, ante ſcilicet innouationem, & amplificationem, vocitata, quam Sixtus Quartus mandauit ædificandam, & Beatæ Mariæ ſemper Virgini, quæ prius *S. Maria virtutum*, vel *de virtutibus*, vocitabatur; ob pacem multis Principibus tunc temporis, DEI Genitricis interceſſione impetratam, ſub nomine Pacis dedicauit, & curæ Canonicorum Regularium Lateranenſium, Ordinis Sancti Patris Auguſtini commendauit, ſiue commiſit, ſicut legitur in Diplomate ipſius, qui dictam Imaginem tranſtulit in eamdem Eccleſiam, in qua Innocentius Octauus Altare maius dictæ Imagini cum ornamento eiuſdem conſtruendum curauit; & ſuper ipſum Altare Tabulam marmoream, quam vulgò Conam vocant, ante hominum conſpectum erigendam quoque mandauit, intra quam dicta Imago, lateritio muro picta, eiuſdem Innocentij iuſſu repoſita fuit cum Inſcriptione, quæ infra legitur hiſce verbis:

Sixtus IV. Eccleſię fundator.

Innocentius VIII.

PER-

PERPETVAE. VIRGINI. GENITRICI
DEI. MARIAE
SALVTIS. PONTIFICIAE. RESTITVTAE
AVCTORI
INNOCENTIVS. VIII. PONT. MAX.
EX. DEVOTIONE. POSVIT.

Nunc verò dicta Inſcriptio aſſeruatur in Altare ſanctæ Crucis. Anno deniq. humanæ ſalutis 1614.in eiuſdē Eccleſiæ amplificatione nouum, & præcipuum quidem ædificatum eſt ſacellum, vel, vt aiunt, conſtructa eſt Cappella, pulchris, & ſacris Imaginibus,lapidibuſq. pretioſis ornata, in qua maius conſtructum eſt Altare, lapidibus item pretioſis ditatum, in quo tandem repoſita eſt dicta Imago lateritio muro picta. Ad eiuſdem autem Cappellæ partem læuam noua inſcriptio Lydio lapide, ſiue Paragonio, in quo aurum, & argentum examinari ſolent, extat inciſa, quæ infra legitur de tranſlatione Imaginis in hanc verborum formam:

PAVLI. V. PONTIFICIS. OPTIMI. MAX.
AVCTORITATE
GASPAR. RIVALDVS. ROMANVS
SACRAM. DEI. GENITRICIS. IMAGINEM
INDE. TRANSLATAM
VBI. INNOCENTIVS. VIII. PONT. MAX.
SALVTIS. SIBI. RESTITVTAE. AVCTORI

PO-

POSVERAT. IN. LOCO. MAGNIFICENTIVS ORNATO. COLLOCAVIT. DIE. II. IVLII. M.DC.XIV.

Lucæ item Ciuitatis Hetruriæ, vel Tuſciæ prope Turrim Campanariam Eccleſiæ Sancti Patris Auguſtini, Milites olim quidam extabant ludo Alearum operam dantes, quorum vnus poſt deperditam pecuniam, totum ſui corporis veſtitum in ludendo amiſit, ita verò, vt nudus remanſerit. Quare ita vehementer concitatus, ac denique in deſperationem adductus, Deiparam Mariam ſemper Virginem blasphemando, eius Imaginem dicto in loco muro pictam, ſaxo percuſſit. Percuſſione ſtatim facta, terra ſeſe aperuit, & percuſſorem viuum in profundam voraginem delapſum deglutiuit. Huiuſce autem voraginis manifeſtum ad hanc vſque diem remanet ſignum, ferrea tranſenna, ſiue craticula, vel triplici cruce ferrea munitum, ipſiuſque profunditatis experimentum funiculis ætate noſtra non ſemel factum eſſe conſtat: Feles enim, & Canes ad funiculos centum cubitorum alligati, & in illam voraginem dimiſsi, fundo illius voraginis imo non tacto, aduſti extracti fuerunt. Cubitus minor ſex palmis, communis ſexdecim; maior autem iuxta Vi-

Aleatoris horrenda miſeria, & deſperatio.

Impia, & Inſana percuſſio Aleatoris.

Deiparę Virginis Miraculum primum.

Cubitus triplex.

truuij

truuij traditionem triginta ſex palmis conſtat. Quare magnam voraginis profunditatem eſſe dicas oportet. Hac in re ſilentio prætereundum non videtur miraculum Sacræ Imaginis, quæ cum Filium in ſinu ad dextram geſtaret, ad iactum lapidis à dextra in ſiniſtram Filium tranſtulit, vt Imaginem Filij à iactu lapidis liberaret. Imago autem Matris inter pectus,& brachiū dextrū ſaxo percuſſa,ſanguinis quantitatem effudit ſatis magnā, cuius pars in illo inſtanti collecta,& intra vaſculum cryſtallinū magna cum veneratione aſſeruatur,atq; in vltima cuiuſcumq. menſis Dominica proceſsionaliter defertur,& Populo etiam oſtēdi ſolet, Sed quia dicta Imago ſaxo percuſſa fuit, vulgò, *la Madonna del ſaſſo*, vocitatur.

Deiparæ Virginis Miraculum ſecūdum.

Deiparę Virginis Miraculum tertiū

Madonna del ſaſſo.

In eadem quoque Lucenſi Ciuitate aliud miraculum contra blaſphemum Aleatorem præſtitum fuit: Anno enim Dom. 1588. Tertio Kalendas Aprilis, quæ eſt trigeſima Menſis Martij, in ambulacro prope portam Burghinam ſito, in quo Milites ad Ciuitatis cuſtodiam excubare ſolebant; Miles quidam ob pecuniam in Alearum, ſiue Talorum, vel Taxillorum ludo deperditam,atque ob talem ludum, blaſphemiæ cauſa ſibi vetitum, ira vehementi correptus, Taxillos, ideſt, Dados

Porta Burghina.

ma-

manu accepit dextra, quaſi eos iacere vellet, horrendamque blasphemiam in DEVM, ac Deiparam Virginem impuriſſimo euomuit ore, dum toruis oculis Imaginem Deiparæ Virginis, Filium ſinu geſtantem, & muro pi-ctam in eo ambulacro intuebatur. Sed blaſ-phemia illicò euomita, brachium eius dex-trum inter humerum, ſiue ſcapulam, & cubi-tum miraculosè fractum fuit. Illa enim oſſis fractura vltrò facta in eo præſertim loco, non niſi miraculoſa à Medicis, & Chirurgis iudi-cata fuit. Adde etiam, quòd Aleator ille blaſphemus poſt ſanitatem contra opinionem Medicorum,qui eum curabant,recuperatam, in Ciuitatem Lucenſem,cuncto Populo ipſum vidente, redijt, eamdemq. Imaginem viſita-uit; ſed Deiparæ Mariæ ſemper Virginis be-nignitate ſe integrã brachij ſanitatem recupe-raſſe prædicauit. Qua in re commota eſt vni-uerſa Ciuitas, & ad ſacram Imaginem ſeſe ſtatim contulit, & quotidie precibus, & lumi-nibus eam venerabatur. Quoniam verò po-pulorum deuotio erga dictam Imaginem in dies augebatur; Militibus ipſis,vnà cum blaſ phemo Aleatore diligenter, & Canonicè qui-dem examinatis, reique veritate iuxta narra-tionem iam factam confirmata, Imago ipſa è

Aleatoris blaſphemi conuerſio.

Imago Deiparæ Virginis veneratur.

muro extracta, ad Eccleſiam Sancti Petri Maioris Collegiatam, cum vniuerſo Clero tàm ſeculari, quàm regulari cum omnibus item Confraternitatibus, vel Confratrijs, non ſine apparatu ſolemniſſimo, cuncto Populo veneranter comitante, aſportata fuit, & ad Altare maius collocata.

Thomas Cãtipratanus l. 2.c.49. nu.9.

Thomas Cantipratanus Ordinis Sancti Dominici, Alberti Magni quondam Diſcipulus, & Epiſcopus Suffraganeus Cameracenſis, in ſecundo de Apibus myſticis libro, qui etiam *Bonum vniuerſale* inſcribitur, & ſui temporis Exempla comprehendit, narrat Hiſtoriam de Iudæo, & Chriſtiano, Teſſerarum luſoribus in ſacra nocte Paraſcèues à DEO punitis. Cum enim Iudæus dicta in nocte ob multam deperditam pecuniam Chriſtum Dominum blaſphemaret, manus ei cum Teſſeris fuit contracta. Hinc maiori ſuccenſus furore, cum iterum in Chriſtum, & Matrem eius blaſphemiam turpiſſimam euomiſſet, verſis terribiliter oculis, cecidit, & expirauit: Chriſtianus autem colluſor illius, nimio pauore in amentiam verſus, elanguit, & miſeram dira morte vitam finiuit. Hæc ex Thoma Cantipratano, qui in quadam Campaniæ Villa horrendam colluſorum mortem eueniſſe teſtatur.

Iudæus, & Chriſtianus colluſores à DEO puniti.

Campaniæ Villa.

In

In Brabantiæ Ciuitate, Archigymnaſio celeberrima, quæ Louanium appellatur, Chriſtus Dominus in Sancta nocte Paraſcèues (vt idem Cantipratanus dicto in libro refert) ſub forma hominis incogniti, ciui cuidam, viro probo, & generoſo miſerabiliter plagis plenus & ſanguine cruentatus apparens ante quoddam Cellarium in platea ſitum, dixit, Auctores tantæ ſuæ læſionis fuiſſe quoſdam, qui in ipſo Cellario, dum Teſſeris ludunt, iuramentis & blaſphemijs inter ſe contendunt. Hinc Ciuis ille Cellarium ingreſſus, interrogat ludentes, cur hominem ignotum ingreſſum ad eos tam crudeliter verberaſſent. Iuuenes illi colluſores attoniti de tali re, negant aliquem ad illos intraſſe, nec vllum ab eis verbo, vel verbere laceſſitum fuiſſe aſſerentes. Mox illi cum Ciue ſurgentes, quærũt hominem cruentatum, nec inueniunt. Singuli autem ad ſe conuerſi, Chriſtum Dominum iuramentis terribilibus, contumelijs, & improperijs rurſum cruciari animaduertunt. Hæc in dicto de myſticis Apibus libro Thomas Cantipratanus, qui etiam hanc hiſtoriam ſub præſtito iuramento narrãtam ſibi fuiſſe ab eodem Ciue teſtatur.

Th. Cantipr. lib. 2. vbi ſup. nu. 10. & in magno ſpeculo exemplorum Diſt. 5. Exempl. 103.

Chriſtus Dominus in forma hominis incogniti apparens.

Colluſores Chriſtum ſe verberaſſe agnoſcũt blaſphemijs, & improperijs.

Quidam etiam, vt in eodem legitur libro,

Tho. Cantipr. lib. 2. c. 49 nu. 11. & in magno ſpeculo exépl. Diſt 5. Exépl. 104.

per ludum Teſſerarum ſpoliatus, vel nudatus, adeò deſperatus euaſit, vt accepto arcu, ſagittam ſurſum in aërem iaceret, quaſi ipſum Cæli Dominum percuſſurus. Et mox ſagitta reuerſa ante faciem iacientis, recenti ſanguine tincta reperta fuit. Qui mox totus in lacrymas reſolutus, Ordinis Prædicatorum fratrem, qui Cantipratano hæc narrauit, circa duo milliaria quæſitum inuenit, & confeſſus, vitam ſuam cum mira pœnitentia, ac deuotione correxit.

Magnum ſpeculum exép. Diſt. 3. Exempl. 43.

In Hiſtoria Eccleſiaſtica Venerabilis Bedæ, vt etiam in ſpeculo Exemplorum magno legitur, caſus cuiuſdam recitatur Aleatoris, qui dum Aleis luderet, ac Teſſeris, male ſibi cadentibus perderet, quidquid in buccam dementis veniebat, ore furibundo blasphemabat, iurando per ſanctiſſima Chriſti Domini, & ipſius Matris membra. Blaſphemus tandem aliquando cœleſti gladio vulneratus, corruit, abominabilemq. animam tartareis ignibus expuit concremandam. Hæc dicta in Hiſtoria de blaſphemo Aleatore, multiſq. rebus ad horrendum caſum blaſphemi explicandum pertinentibus, breuitatis cauſa prætermiſsis.

Cęſarius l. 5. c. 8. & in Speculo Exempl. magno Diſt. 6. Exépl 51.

Cæſarius Heiſterbachcenſis Ordinis Ciſtercienſis in libro quinto de Miraculis, ætate ſua

in Germania factis, multos Dæmones circa Sacerdotem, & Plebanum, ſed Aleatorem moribundum apparuiſſe narrat. Plebanus namque nomine Adolphus, vir (Cæſario Teſte) valde ſecularis, & lubricus, dum Aleis ludebat, ad audiendam confeſſionem cuiuſdam moribundæ Mulieris, & ad eam communicandam inſtantiſſimè cum lacrymis à Filio illius accerſitus, non niſi ludo expleto, ſe iturum reſpondit; hinc illa moribunda ſine confeſſione, necnon ſine viatico ab hac luce migrauit. Plebanus autem poſtridiè vel poſt tertium diem in peremptoriam incidit ægrotationem, in qua dum ad inuocãdum DEVM, vt peccata ſibi dimitteret, ſpatio fructuoſæ pœnitentiæ conceſſo, ſuadetur, ita deſperatus reſpondit: *Vides horreum illud magnum nobis appoſitum? Non ſunt in eius tecto tot calami, quot ſunt circa me Dæmones congregati. Hoc dicto, mox agonizans expirauit, eos videns adeſſe moriturus, quorum conſilio vixerat ſanus.* Hæc ex Cæſario in quinto de Miraculis libro, capite octauo.

Plebani moribũdi viſio.

In Saxoniæ partibus, vt refert Siluanus Razzius, Monachus Camaldulenſis, in libro de Miraculis Deiparæ Mariæ ſemper Virginis, Aleator quidam, cum pecuniam in Alea-

Siluanus Razzius lib. 1. Miracul. 32.

rum ludo deperderet, horrendas, & inauditas quidem blaſphemias contra ſancta Chriſti Domini,& Saluatoris noſtri membra,tàm extrinſeca, quã intrinſeca vomitabat. Iſtuc etiã ipſum inenarrabili ſanè rabie, atq. crudelitate contra Chriſti Domini Matrẽ fecit.Qua re aſtãtes,ne amplius tot impias, ac nefandas,turpeſque blaſphemias audirent,ſuas obturabant aures, pectuſque percutiendo in fugam ſe dabant. Blaſphemator autem tandem aliquando inter blaſphemandum ictu inuiſibili percuſſus,ac vulneratus, dixit: *O me miſerum,quis me vulnerauit, & interfecit? Et ita vulneratus cecidit in terram. Denique hac, vel illac, vitam cum morte commutauit. Deinde ipſe ſpoliatus, magnum in dorſo vulnus habere inuentus fuit: vulnus autem adeò profundum erat, quòd acuta ſecuri,aut bipenni factum videbatur: ob magnum namque hiatum, ſiue ob magnam, vt ita dicam, aperturam,omnia inteſtina,ſiue interiora cernebantur*. Hæc ex Siluano Razzio.

Blaſphematoris interitus.

Anno Domini 1514. Neapoli in Xenodochio, ſiue Hoſpitali Sancti Eligij maioris, reperitur Eccleſia, in qua extat perantiqua, & deuota Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis,muro picta, quæ Sancta Maria Miſericordiæ vocitatur: Hæc autem Imago in facie

Io.Anton.Sũmontus to.2. Hiſt. Neap. pag.267.

vul-

vulnerata cernitur. Nam, vt in Tabula quadam ſatis antiqua prope dictam Imaginem affixa legitur, cum impius quidam Aleator, poſt magnam pecuniarum quantitatem in Alearũ ludo, ſiue in Chartis luſorijs deperditam, temerè, atque impijſſimè quidem blaſphemaret, ob horrendas blasphemias ab impuriſsimo euomitas ore, reprehenſus, in rabidam, & inſanam accenſus iram, in Eccleſiam illam ingreſſus, deuotæ Imaginis faciem enſe ſuo vulnerauit, atque ſex inflixit vulnera, ex quibus illicò ſanguis effluxit, vt in eadem Imagine ad hanc vſque diem videre licet. Aleator deinde ille nauim aſcendit, & è portu Neapolitano, patriam ſuam Florentiam ſeſe transfert. Dum verò Ciuitatem ingrediebatur, ſtatim deprehenſus fuit, & in Carcerem coniectus, quatenus homicida: Nam in eius ingreſſu inuentus fuit in via homo quidam occiſus, qui ab eo interfectus iudicabatur. Ille autem dicti homicidij omnino ignarus, & in fune ſuſpenſus, & examinatus, in ipſo cruciatu, ſiue in ipſa tortura, ſeſe commendauit Deiparæ Mariæ ſemper Virgini, quæ cum ijſdem vulneribus ei apparuit. Hinc Aleator ille in fune ſuſpenſus, & ſuæ impietatis memor, hanc ſolam contra ſacram Imaginem

Aleator Florentinus.

Nea-

Neapoli ſe perpetraſſe apertè confeſſus eſt;
Aleator decollatus. & propter illã ſolã,& horrédã quidẽ impietatẽ decollatus fuit.Hæc ex Io. Antonio Sũmonto.

Anno Dom. 1522. In eadem Ciuitate Neapoli Anno Domini 1522. ſicut incolæ Ciuitatis quantum ad tempus ex traditione affirmant, Aleatores nonnulli vaſa quædam argentea furati, in Choro Eccleſiæ Sancti Laurentij Ordinis Fratrum ſancti Franciſci eadem vaſa inter ſe diuiſerunt, & ibidem Alearum ludo operam dederunt, quorum vnus ob totam ſuam partem in ludendo deperditam, in rabidam iram dementer accenſus, Imaginem Chriſti Domini (qui nudus, & muro pictus cernitur, & *Ecce Homo*, vocitatur) infra vulnus, quod in Cruce ad latus dextrum à Longino acceperat, pugione ſuo vulnerauit, vnde ſanguis illicò abũdanter effluxit. Sed quia Imago illa manibus ligatis repræſentabatur, illo ictu ſtatim dato, manum dextram ad latus infra vulnus admouit, atque ita Imago ipſa ad hanc vſque diem ſtare cernitur. Quare dictus Aleator impius, ac demens, carceri mancipatus fuit, & patibulo ſuſpenſus, vel affixus, in illo ex hac vita deceſsit.

Anno Dom. 1382. Anno Domini 1382. die 17. Menſis Ianuarij in quodam Diœcèſis Florentinæ Ca-

ſtro,

ſtro, quod Latinè *Emporiũ*,& vulgò *Empoli* vocitatur, duo Stipẽdiarij ſimul ad Taxillos ludebant, quorũ alter, tota pecunia in colludendo deperdita, Groſſo vno monetæ Piſanæ argẽteo excepto, in quo Deiparæ sẽper Virginis Imago ſculpta erat, poſt horrẽdas blaſphemias in Chriſtũ Dominũ,& Matrẽ eius euomitas, gladio ſuo Imaginẽ B. Mariæ ſemper Virginis in Groſſo illo ſculptam circa pectus percuſſit, ex quo ſtatim ſanguis in omnium ſtuporem effluxit. Moneta itaque illa cruentata ad fratrem Onuphrium Oſtecutum, Epiſcopum Florentinum delata, necnon Hiſtoria tanti ſceleris, tantique miraculi enarrata, Epiſcopus in Dominica V. Quadrageſimæ, quæ de Paſſione nuncupatur, Monetam illam cruentatam ad Eccleſiam Ordinis Eremitarum Sancti Patris Auguſtini ſolemni proceſſione detulit,& in Reliquiario ſemper aſſeruandam præcepit. Deinde, ne tanti beneficij memoria deleretur, ſed Chriſti Fidelium deuotio in dies augeretur, Epiſcopus ipſe verè pœnitentibus, & confeſsis, qui in Dominica de Paſsione, & in omnibus Feſtiuitatibus Beatæ Mariæ ſemper Virginis ſingulo quoque Anno dictam Reliquiam venerandam viſitauerint, Indulgentiam quadraginta dierum de iniun-

Moneta miraculosè cruentata.

Epiſcop. Florentinus.

Moneta miraculosè cruentata.

Indulg. quadraginta dierum.

cta eis pœnitentia conceſsit: Hæc ex eodem Fratre Onuphrio Oſteçuto Florentino Ordinis Eremitarum Sancti Patris Auguſtini, & Epiſcopo Florentino, qui omnibus hiſce de rebus per litteras publicè datas loquutus fuit, dum dictam Indulgentiam conceſsit, ac promulgauit: Litteræ verò patentes omnibus hiſce de rebus conſcriptæ in eadem Eccleſia Florentiæ aſſeruantur.

Med. 1542.

Mediolani circa Annum Dom. 1542. Maſſatius quidam Vigonzonus in die Annuciationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis Feſto, propè Sancti Satyri Eccleſiam, Alearum ludo, ſiue Chartis luſorijs operam dedit; & in illo ludo non ſolum totam pecuniam, ſed omnes item pannos, quibus erat indutus, amiſit. Hinc rabida, & inſana accenſus irâ, necnon in deſperationem adductus, dictamque Eccleſiam ingreſſus, guttur Imaginis Christi Domini, quem Deipara Maria ſemper Virgo muro Cœmeterij Eccleſiæ picta in ſinu geſtare cernitur, ſuo percuſsit gladio, quo ex vulnere magna ſanguinis quantitas effluxit. Maſſatius itaque percuſſor ſanguine illo cruẽtatus, ac tanto miraculo commotus, lacrymando mirum in modum exclamauit, ad cuius clamorem illuc permulti cucurrerunt, & ma-

Imago picta ſanguinem emittit.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON 1896

gnam illam ſanguinis effluentiam viderūt. Quare huius generis miraculum per totam illicò Ciuitatem, eiuſque Prouinciam diuulgatum fuit, ita verò, vt ad eumdem locum gentes vndique confluerent, ſecum non ſolū pecunias, verum etiam gemmas in auro, & argento, necnon torques, annulos, ac veſtes deferēdo pro Eleemoſynis ob gratias à Deipara Maria ſemper Virgine, & à Chriſto Domino eius Filio ipſis collatas. Hinc temporis progreſſu ex dictis eleemoſynis tāta pecuniarum copia redacta denique fuit, vt ex illis Eccleſia, quæ nunc extat iuxta archetypum, ſeu formam à Bramante Architecto, & Pictore tunc temporis in Italia inſigniori, præſertim conſenſu Ludouici Sfortiæ Ducis fuerit ædificata. Imago deinde illa Deiparæ ſemper Virginis muro picta in ſinu geſtantis Filium, & in gutture vulneratum gladio, tranſlata fuit in Eccleſiam nouam, & in eius maiori Altare collocata fuit, vbi nunc extare cernitur. Maſſatius autem, percuſſor Imaginis, tanta ſua inſania, & impietate adeò condoluit, vt graui pœnitentia quattuor, & amplius annis peracta, habitum Religionis Monaſticum Sancti Ambroſij ſuſceperit, & in eo magna vitę Sanctitate viuens, multa futura prædixerit. Gla-

Populorum deuotio.

Bramans Architectus, & Pictor.

Ludouicus Sfortia Dux.

Gladius aſſeruatur.

dius verò, cum quo dictam Imaginem vulnerauit,in ſacrario illius Eccleſiæ,ad perpetuam tanti miraculi memoriam aſſeruatur.

Geneſtanum vel Genazzanum.

In illa Italiæ Regione fertiliſsima, quæ Campania vocitatur, dum Regio ipſa bello vexaretur tempore Pauli Tertij Miles quidam Chartis luſorijs in platea Geneſtani, vel Genazzani operam dabat; Hic denique ob totam deperditam pecuniam,quam habebat, horridas blaſphemias in Deum,& in Dei Matrem eructabat, & ita blaſphemando Eccleſiam Deiparę Marię ſemper Virgini dicatam, & à Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Patris Auguſtini cultam ingreſſus, Chriſtum Dominum, ad Altare Cruci affixum, enſe ſuo in fronte,in vtero, & in cruribus vulnerauit, non ſine magna ſanguinis effuſione.

Blaſphemator à Militibus interficitur.

Blaſphemator autem ille,ac ſacrę Imaginis percuſſor, ſtatim ab alijs Militibus fuit interfectus,eiuſque corpus in fruſta redactum; enſe ſtatim valdè, & miraculosè quidem recuruato, ſed ita, vt non ſine magna difficultate, nec ſine magno temporis interuallo ab artifice eum in modum fieri poſſet enſis ille, qui ad tantæ impietatis Aleatoris, & ad tanti miraculi memoriam ad hanc vſque diem prope ſacram Imaginem aſſeruatur.

Enſis aſſeruatur.

Sex-

Sexcenta deniq. in diuerſis Mundi partibus huius generis inueniuntur exempla,quæ infelicium Aleatorum inſatiabilem cupiditatem, & inſaniam; flagitia magna,& deſperationes, horrendas item in Deum, & in Sanctos blaſphemias, poſt Dæmonem inuocatum, poſt mendacia, poſt rapinas,& fraudes factas,nec non ſacrarum Imaginum vulnerationes, vel percuſsiones, poſt pecunias, & res omnes deperditas, ipſorumq. tandem aliquando Aleatorum occiſiones, & aditum infernalem repræſentant. Sed breuitatis cauſa de huius generis exemplis,hęc dicta ſufficiant,vt etiam à Chriſtifidelibus Alearum ludum iure vetitum fuiſſe ob malas circumſtantias, quæ peccatum mortale,& quidem graue faciunt,oſtẽdamus,quidque de ipſo ludo,quantum ad peccatum à Doctoribus ſanctis, & alijs fuerit decretum; nec non quid de lucro perperam, & diabolicè facto in eodem ludo,faciendum ſit, explicemus.

Alearum ludus quid cõtineat.

Peccatũ mortale in ludo factum.

Lucrum in ludo factum.

Huius igitur generis ludi omnes, Alearum ſcilicet,vel Chartarum,Tabularumq. propter Taxillos, vel Talorum, ſiue Taxillorum vetiti leguntur, quippe qui tot vitia, & horrenda mala parturiunt, quatenus maiori ex parte, & quaſi omnino in ſorte, aut fortuna verſantur;

Tabulæ dicuntur etiã Orbiculi. Teſſeræ,Cubi Taxil i, & Tali idem ſunt:qui vulgò dicuntur Dadi.

Latrunculi ſunt, qui vulgò dicuntur Scacchi.

cuiuſmodi non eſt Latrunculorum ludus, vulgò *Scacchi* vocitati, qui quatenus magnam induſtriam, magnamque ingenij vim poſtulant, honeſti dicuntur, & licitè ab omnibus non ſolum Laicis, verum etiam ab omnibus Clericis, ac Religioſis, & Monachis animi recreandi gratia interdum exerceri poſſunt. De his autem ad huiuſce Commentarij calcem plura dicemus.

Quòd autem Alearum prçſertim ludus non niſi ſortem, aut fortunam admittat, ex eo conſtat, quòd vox ipſa Alea à probatiſsimis Auctoribus pro fortuna, & euentu ſumi conſueuit. Hinc Cicero à Plinio prædicatur extra omnem ingenij Aleam poſitus; ideſt, extra omnem ſortem, & euentum ingenij. Apuleius item in libro 4. Metamorphoſeon hoc ſcriptum reliquit: *Ancipitis* (inquit) *machinæ ſubit Aleam, hoc eſt fortunam, & dubium euentum.* Alearum igitur ludus, & id genus alij ob ſortem, aut fortunam in eis omninò dominantem ob turpe lucrum, ob infamiam, necnon propter blaſphemiarum, & periuriorum pericula, honeſtæ, ac ſanctæ vitæ aduerſantia, atque obhorrendiſsimos euentus, & ob certa denique damna, quæ inde proueniunt, tàm Ciuilibus, quàm Canonicis Legibus, non ſolum

Plinius in Præfatione ſuæ hiſt. naturalis.

Apuleius, l. 4. Metamorphoſeon.

apud

apud Chriſticolas , verum etiam apud Ethnicos vetiti vndequaque inueniuntur, ad Aleatorum inſaniam , & calamitatem propulſandam .

De Inſania, & Calamitate Aleatorum .

INſania profectò admiranda, & penè incredibilis , de quibuſdam Alearũ luſoribus in Germania eſſe narratur . Dicti enim Luſores poſtquam omnia ſua in Alearum ludo amiſerunt,ſuam vendunt libertatem , immo ſeipſos , vt in Libello de moribus Germaniæ Cornelius Tacitus affirmat hiſce verbis : *Aleam (quod mirere) ſobrij inter ſeria exercent, tanta lucrandi , perdendiue temeritate , vt cum omnia defecerunt , extremo , ac nouiſsimo iactu de libertate , & de corpore contendant . Victus , voluntariam ſeruitutem adit . Quamuis iunior,quamuis robuſtior alligari,ac vænire patitur .* Hæc de poſtrema Aleatorum calamitate, omnium miſeriarum maxima .

Cornelius Tacitus .

Vænire,ideſt vendi .

Sanctus Ambroſius in cap. Tobiæ 11. diabolicum Aleæ ſtudium Hunnis Pannoniæ Populis (quos nunc fortaſſe, paucis immutatis litteris, Hungaros vocitamus) adſcribit . Hic

S Ambroſius in c. 11. Tobiæ to. 2.

Hungarorũ inſaniæ.

enim ſanctus Doctor, poſtquam vſuram ab Aleatoribus extortam, & inuiolabilem Aleæ legem, cui ſubijciuntur etiam ferociſſimi homines, deſcripſit, & mirum in modum deteſtatus eſt, dictoſque Hunnos abſque legibus viuẽtes, Aleæ ſolius legibus obedire narrauit, inſaniam eorumdem, (qui per vnum iactum libertatem, immò vitam denique ſuam poteſtati Aleatoris vincentis addicere ſolent) oſtendit hiſce verbis: *Frequenter* (poſt multa inquit) *tanto ardore rapitur Aleator, vt cum ea (quæ ſola magni æſtimant) victus arma tradiderit, ad vnum Aleæ iactum, ſuam vitam poteſtati, vel victoris, vel fœneratoris addìcat. Denique conſtitit, quòd quidam eorum, & Imperatori Romano cognitus, in fide pretium ſeruitutis, quam ſibi tali ſorte ſuperatus intulerat, ſupplicijs imperatæ mortis exoluerit.* Hæc Sanctus Doctor Ambroſius de huius generis Aleatorum Hungariæ olim inſania.

S. Ambr. vbi ſupra.

Addicere eſt vẽdere plus offerenti.

Addìcat: Nã addicere eſt vẽdere plus offerenti.

Hiſce igitur de cauſis enarratis, pernicioſum, infamem, ac mortiferum, diabolicum, atque deteſtandum Alearum ludum cum alijs omnibus ludis in eo comprehenſis, in quibus fortuna cum tot enarratis malis dominatur, tàm Ciuilibus, quàm Canonicis Legibus, non ſolum à Chriſtifidelibus in ſacroſanctis Con-

cilijs

ciliјs, verumetiam ab Ethnicis, & iure quidem vetitum eſſe conſtat. Vide pag. 8. & ſeq. de ludo ab Ethnicis vetito.

Nunc autem reliquum eſt, vt duo Quæſita ad ludos vetitos pertinentia explicemus.

Primò ſcilicet An ludus Alearis, quem alij peſtem, alij verò diabolicum ludum appellant, ſit peccatum mortale. Secundò quomodo, & quando lucrum, in ludo tali factum, reſtitui debeat.

Quæſitum Primum,

Quonam modo Ludus Alearis ſit mortale peccatum.

ALearum, ſiue Chartarum ludus, & id genus alij, in quibus magis fortuna, quàm induſtria dominatur, ob ingentem multitudinem malorum, & peccatorum, quæ ex illis naſcuntur, tàm Ciuilibus, quàm Canonicis Legibus, & Concilijs, tàm ab Ethnicis, quàm à Chriſtifidelibus vetiti ſub pœnis fuerunt, ſicut ex ijs, quæ hucuſque in medium allata ſunt, ſatis conſtat. Propterea dictus Alearum, vel Chartarum ludus, necnon Tabulæ, vel Orbiculi, Teſſeræ, vel Taxilli, ac Tali, vulgò Dadi vocitati, in quibus magis fortuna, quàm in- Alearum nomina.

duſtria dominatur, ſine peccato mortali, vt ait Gregorius Sayrus, exerceri non poſſunt, dum vera, & notabili lucrandi auiditate, ex qua oriuntur tot mala iam enarrata, luditur, vt infra oſtendetur rationibus, & inſigniorum Auctorum ſcriptis.

Greg. Sayrus lib. 11. c. 12. nu. 4.

Gabriel Biel Theologus, & egregiè doctus in 4. Sententiarum libro diſt. 15. q. 13. art. 2. Concluſione 3. *iſtuc* ipſum confirmat dicens: *Ex cupiditate ludens Alea, peccat mortaliter, quia ludit contra legem Diuinam, Naturalem, & Poſitiuam. Contra Legem Diuinam, quia eſt contra charitatem proximi. concupiſcere bona proximi cum damno eius; & eſt contra decimum præceptum, quo prohibetur concupiſcentia rei alienæ cum damno proximi: Eſt contra Legem Naturæ: facit enim alteri, quod ſibi nollet fieri; Eſt etiam contra Legem poſitiuam, vt patet ex dictis.* Hæc Gabriel Biel, qui, cum ludus Aleæ fiat ex tali cupiditate lucrandi, contra Legem diuinam, humanam, & poſitiuam, mortale peccatum eſſe concludit; dummodo tamen aliqua ex malis circumſtantijs iam relatis interſit.

Gabriel. Biel in 4. ſentent. diſt. 15. q. 13. art. 2. Concl. 3.

Aleæ ludus eſt mortale peccatũ, quatenus eſt cõtra Legem diuinam, naturalem, & poſitiuam.

Mortale peccatum.

Sanctus item Cyprianus, vt ſuperius oſtenſum fuit, Alearum ludum crimen eſſe mortale affirmat poſt multa mala de ipſo ludo enarrata.

Vide pag. 25

San-

Sanctus item Raymundus de Peniafort Ordinis Prædicatorum, Vir in Diuinis Scripturis eruditus, Iuris item Canonici notitia inſignis, & in Theologia morali ſatis clarus, in ſecundo ſuæ Summæ Libro, dum de negotijs ſecularibus loquitur, & vtrũ de illicitè acquiſitis eleemoſyna fieri poſſit, ſermonem habet, Aleæ ludum mortale peccatum, & quidem graue poſt multa concludit, dicens: *De ludo Aleæ teneas, quòd illi, qui ludunt ad Aleas, vel Taxillos, vel qui ludo interſunt, vel ſunt participes, vel inſpectores ludi, peccant, & maximè, ſi ſunt Clerici*. Hæc Sanctus Raymundus, ex cuius verbis colligimus, Alearum, vel Taxillorum ludum eſſe peccatum. Deinde propter nouem in ipſis ludis conſideranda, magnum peccatum eſſe ait in hæc verba: *Quam magnum peccatum ſit, patet inter alia ex nouem, quæ in talibus ludis attenduntur, vt infra videre licet.*

S. Raymundus lib. 2. §. de illicitè acquiſitis, & Aleatoribus. A Clemente VIII. canonizatus Anno Domini 1601.

ff. de Aleat. Auth. de Sãct. Epiſc. §. Interdicimus extr. de Vita & hon. Cleric. Conſtit. Clerici.

Magnum peccatum.

S. Raymundus, vt ſupra

Notanda nouem, ex quibus mortale peccatum, & graue quidem eſſe concluditur A S. Raymundo.

Hæc nouem notanda recitantur ab Alexandro de Aleſ. in 4. ſent. q. 33. membr. 2. Art. 5.

1 PRimum eſt, deſiderium lucrandi, ecce cupiditas, quæ ex Epiſtola Sancti Pau-

1.Timoth.6. li prima ad Timotheum cap. 6. eſt radix omnium malorum.

2 Secundum eſt, voluntas ſpoliandi proximum, ecce rapina.

Extr. de exceſſ. Prælat. inter dilectos.

3 Tertium eſt, vſura maxima, ſcilicet vndecim pro duodecim, non ſolum in Anno, vel Menſe, ſed in eadem die.

4 Quartum eſt, mendacia multiplicata, & verba otioſa, & vana.

5 Quintum eſt, blaſphemia; ecce hæreſis.

6 Sextum eſt, corruptio multiplex proximorum, qui ad ludum inſpiciendum de conſuetudine praua conueniunt.

7 Septimum eſt ſcandalum bonorum.

8 Octauum eſt, contemptus prohibitionis Sanctæ Matris Eccleſiæ.

9 Nonum eſt, ommiſſio temporis, & bonorum, quæ in illo tempore tenentur facere.

Alexander de Ales & Guido.

Decret. p. 3. Diſt. 35.

Hæ nouem Sancti Raymundi Conſiderationes, vel hæc notanda recitantur etiam ab Alexandro de Aleſ. in 4. Sententiarum libro, quæſt. 35. art. 5. necnon à Guidone de Baypho, vel Bayſio, ſiue Bayſo Archidiacono Bononienſi in prima Decretorum parte diſt. 35. cap. *Epiſcopus*. Sanctus autem Raymundus, vt ait Ioannes Trittemius in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, floruit Anno Dom.

1230.

1230. Alexander de Ales 1240. & Guido de Baypho 1290. Ex his ergo nouem conſiderationibus colligimus Alearum, ſiue Taxillorum ludum eſſe peccatum. Quòd autem hoc peccatum ſit mortale, Sanctus Raymundus ex verbis Canonum Apoſtolorum demonſtrare ſtudet, dum ex ijs colligit prohibitionem eorumdem ludorum, & pœnas contra ludẽtes.

Apoſtolorum Canones, quos S. Raymundus in medium affert, & ſuperius item videre eſt, ſunt, qui infra leguntur.

S. Raymundus lib. 2. Summæ §. 11 de illicitẽ acquiſitis, & Aleatoribus.

Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus,
Aleæ, aut ebrietati deſeruiens, aut
deſinat, aut certè damnetur.
Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor,
Similia faciens, aut deſinat, aut Communione priuetur; ſimiliter, & Laicus.

Damnetur, ideſt deponatur ab officio, vel Beneficio, vel ſuſpendatur ab vſu Ordinis ſacrì.

Canone Apoſtolorum in medium allato, S. Raymundus ait:

ITem nota quattuor verba poſita in prædicto Canone, ſcilicet:

S.Raym. lib. 2. §.de illicitè acquiſitis, & Aleatoribus.

1 2 3
Deſeruiens, Deſinat, Damnetur,

Com-

4

Communione priuetur.

Ex primò (inquit S. Raymundus) *collige, quòd ſi non ducit in conſuetudinem, non ſuſtinebit pœnam prædictam. Nam verbum deſeruire hoc in loco*, vt ſententiam Sancti Raymundi explicemus, *ſignificat ludentem, dominio ludi, & peccati eſſe detentum, eique ſubiectum, ob magnum lucrandi ardorem.*

Ex ſecundo ſcilicet, Deſinat, colligitur, quòd etiã ſi duxerit in conſuetudinem, debet admoneri, & ſi admonitus vult ceſſare, euitabit pœnam prædictam; debet tamen in vtroque caſu agere pœnitentiam de peccato.

Peccatum mortale, & graue ex 11. q. 3. Nemo, & Nullus.

Ex duobus vltimis, quæ ſunt, Damnetur, & Communione priuetur, collige quòd tale peccatum ſit mortale, & graue, cum tales pœnæ non ſint imponendæ pro leui crimine. 11. q. 3. Nemo, & Nullus. Hæc Sanctus Raymundus, qui ex pœnis, quas incurrunt Aleatores, eorum peccatum mortale, & graue quidem eſſe concludit. Nam

Damnetur.

dicto in Canone per verbum, *Damnetur*, intelligitur pœna Eccleſiaſticis viris impoſita, quę eſt depoſitio ab Officio, vel Beneficio. Per

Communionis priuatio eſt excommunicatio.

priuationem Communionis intelligitur pœna Laicis impoſita, quæ eſt excommunicatio. Quod quamuis ita ſit; Decreti tamen Gloſ-

ſatori,quem Angelus de Clauaſio,& Silueſter de Prierio in Summis aiunt eſſe Hugonem quemdam, aſſentiendum non videtur dicenti, *Alearum ludum,& alios id genus ludos ſemper eſſe mortale peccatum*. Nam vt ſuperius dictum fuit ex Nauarri doctrina,ludus prædictus non eſt ſemper mortale peccatum,præſertim verò, vt idem Nauarrus inquit, *dum potius honeſtæ recreationis cauſa,quàm lucri,& paruo quidem tempore luditur; quando ſcilicet à prandio, vel à cœna luditur cauſa ſolatij, nullius rei pecuniariæ lucro propoſito; vel ſolum alicuius eſculenti,& poculenti, quod bis lucrifactum ſemel ſoluatur; vel ſpirituali lucro precum aliquarum pro vincente à victo dicendarum*. Hæc ex Nauarro, qui tamen in eodem capite 19. nu.3.ait: *Ludus non ſit mortalis ex ſola circumſtantia animi principaliter lucrandi aliquid, etiam notabile ab eo, qui donare poteſt,vt probat Caietanus in 2.2.quæſt. 168. Art. 3.& in verbo,Ludus; Neque etiam ex nimio, & ardenti ludendi appetitu, niſi cum extenditur ad alicuius Legis (quæ obligat ad mortale) violationem; Qualis eſt eorum, qui noctes in dies, & dies in noctes vertentes; Miſſas præceptas omittunt, aut ſubeunt periculum amiſsionis bonorum, ſine quibus nequeunt ſubſtentare vxores, liberos, ac reliquam Familiam ſubſtentandam de præcepto, aut*

Hugonis opinio confutatur.

Nauarrus vbi ſup.c. 19. nv.6.

Nauarrus c. 19.nu.3.in Manuale Cōfeſſ.

Caietan.2.2. q.16.art. 3.

Quomodo Alearum ludus peccatū mortale poſſit eſſe.

debita ſtatuto tempore ſoluere, &c. Hæc dicto in loco Nauarrus, cuius verba de lucro in Alearum ludis penſitanda ſunt, & memoriæ mandanda, quæ prius recitata fuerunt, quatenus eius doctrinæ, ac ſententiæ magis conſona iudicantur. Immò, ſi inter ludentes aliquod lucrum proponatur, vnuſquiſque memor ſit conceſſionis Iuſtiniani Imperatoris, qui Alearum ludo vetito, permittens quinque genera ludorum, induſtria, & arte magis, quàm fortuna nitentium, vetat quoq. ne prœmium magis, quàm vnius Solidi, hoc eſt, Aurei, proponatur vincenti, etiam ſi multum diues ſit. Ecce quomodo ludus Alearum vetitus mortale peccatum eſſe poſſit, & quidem graue, & quomodo ſine peccato exerceri queat, præſertim verò ab Eccleſiaſticis viris, quibus multò magis, quàm Laicis vetitus eſſe cenſetur ob Eccleſiaſtica præſertim bona, quibus ipſi potiuntur: nam per ludum vetitum, reditus in vſum pium dicatos, in prophanum, & vetitum vſum conuertunt.

Nauarrus pag. 12.

Iuſtiniani Imperatoris decretum.

Prœmium in ludo vincẽtis eſt vnius tantum Solidi, ideſt Aurei.

Quæ-

Quæſitum Secundum,

Quomodo, & quando Lucrum in Alearum Ludo factum, reſtitui debeat.

IVxta Doctrinam S. Thomæ Doctoris Angelici, necnon aliorum Doctorum; quãdo, & quomodo lucrũ reſtituẽdũ ſit, ſcire oportet, Diſtinctionibus ad hanc rẽ pertinentibus diligẽter conſideratis. Nam Sanctus Thomas in 2. 2. tribus in Caſibus acquiſitum, ſiue lucrum in Alearum ludo factum reſtituendum eſſe affirmat. S.Thom.2.2. q. 32. art. 7. ad ſecundũ.

1. Primò quando ludens lucratus eſt, ideſt ſuſcepit lucrum à victo, qui rem ſuam alienare non poterat, cuiuſmodi ſunt Filij Familiæ, qui adhuc ſunt in poteſtate Patris; necnon qui ſunt minores viginti quinq. annis; Coniux item, Furioſi, & prodigi, & alij conſimiles ſub Tutoribus exiſtentes. Hoc item intelligendum eſt de Religioſis, deque Monachis, & Monialibus. Huius autem generis lucrum acquiſitum reſtitui debet Patribus, Maritis, vel Tutoribus eorumdem, vel eorum Superioribus. De hoc enim lucro eleemoſyna fieri nõ debet, vt ait S. Thomas cum alijs Doctoribus. Nauarr.c.19 nu. 12. Iodocus Lorichius in Theſauro n. 5. Ludi. S.Th.vbi ſup

2. Secundò reſtituendum eſt lucrum in Alearum ludo factum, quando quis cum aliqua lucratus eſt fraude: lucrum enim hoc modo factum nuncupatur furtum. De hoc autem lucro, vt ait S. Thomas, eleemoſyna fieri non poteſt, ſed ei, qui victus fuit, & amiſit, eſt omninò reſtituendum.

S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7.

3. Tertiò reſtituendum eſt lucrum in Alearum ludo factum ab eo, qui ex auiditate lucri, & nimia, vt ita dicam, importunitate traxit aliquem nolentem ad ludendum. Hoc autem lucrum reſtituendum eſt ei, qui ad ludendum compulſus fuit, vel in principio, vel in medio ludi. De hoc enim lucro eleemoſyna fieri non poteſt. Si autem qui impulit alium ad ludendum, amiſit, ei repetitio lucri non competit; & qui compulſus luſit, lucratus eſt, reſtituere non tenetur: quia ille, qui amiſit, accipere non eſt dignus; propterea de hoc lucro facto in ludo vetito eleemoſyna fieri debet, vt ait S. Thomas in 2. 2. & in 4. Sententiarum Diſt. 15. de eleemoſyna art. 4. quæſt. 3. Iſtuc ipſum Ioannes Azor in tertia parte Inſtitutionum moralium, S. Raymundus, & alij Doctores affirmant.

S. Thomas 2. 2. & 4. ſentẽt.

Io. Azor. p. 3 lib. 5. c. 24.

S. Raymund. l. 2. vbi ſup.

An verò acquiſita per ludum Lege, vel Statuto prohibitum, reſtituenda ſint, diuerſi di-

uerſa

uerſa dicunt. Quidam enim affirmant, qui ſunt S. Bonauentura in 4. Libro ſententiarum diſt. 15. q. 2. art. 4. Paludanus in eodem libro Diſt. 15. q. 3. art. 7. ad ſecundum. Beatus Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 3. Nicolaus Abbas Panorm. Guido Archidiac. Bononiēſis; Raynerius in Summa Theologiæ to. 1. c. 2. de eleemoſyna; Henricus Cardinalis Oſtienſis in Summa, Io. de Salas in Tractatu de Legibus, quæſt. 96. diſt. 15. ſect. 8. & Gloſſa in libro 3. Decretalium tit. 1. c. 15. Clerici de Vita, & honeſtate Clericorum; & alij Scriptores à Ioanne Azorio in medium allato in tertia parte Inſtitutionum Moralium lib. 5. cap. 24.

S. Bonau. lib. 4. ſent. Inſtitutionū Moralium.

Antoninus.

Panormit.
Guido.
Raynerius.

Henric. Car. Oſtienſis, & Io. de Salas de Legibus.
Gloſſa in lib. 3. Decretalium.

Ioannes Maria Verratus Carmelita, Theologus clariſſimus, qui Catonis Carmina illuſtrauit Commentarijs, dum illud Catonis dictum, ſiue præceptum, *Aleas fuge*, declarat, Alearum, ac Taxillorum ludum diabolicum à Diabolo inuentum fuiſſe oſtendit, ac tandem ait: *Meritò igitur vniuerſalis Eccleſia ſanctè, & iuſtè decreuit, & voluit huiuſmodi ludum eſſe omninò prohibitum ratione multorum malorum, quæ ex eo ſequuntur, infamiæ ſcilicet, omiſsionis temporis, furti, auaritiæ, luxuriæ, ſuperbiæ, blaſphemiæ, & aliorum id genus malorum. Deinde lucrum in huius generis ludo, quatenus prohibito, factum, reſti-*

Verratus in Carmina Catonis.

tuendum eſſe concludit. De nonnullis autem alijs perſonis ita loquitur: Filij Familias, Serui, Ancillæ, Vxores, Religioſi, Beneficiati, etiam ludentes ludo non prohibito ſine fraude, & dolo acquiſita per ludum tenentur reſtituere, quia nullum ius habent ſuper his bonis. Hæc ad verbum Verratus.

Ricard. opinio ſecurior & communior.

Ricardus verò in 4. lib. Sent. Diſt. 15. Art. 5. q. 8. ait de ludo Alearum communiorem, & ſecuriorem eſſe hanc opinionem de lucro reſtituendo affirmatiuam: alia enim opinio aſſerit reſtitui non debere ante condemnationem Iudicis, neque Pauperibus, neque ei, qui perdidit in ipſo ludo.

Alex. tom. 4. ſent. q. 33. Membro 2. art. 5.

Alexander autem de Ales (vt Ioannes Azorius ait) ſibi conſtare non videtur, dum primùm ait, acquiſita per ludum non eſſe reſtituēda ex obligatione; deinde acquiſita per ludum, in quo eſt turpitudo contra ius naturale, & contra iura humana, reſtituenda eſſe affirmat.

Didacus Couarr. 2. p. Relectionis 4. tom. 2. Ioan. Azor. vbi ſup. p. 3. Inſtitut. Moralium lib. 5. cap. 24. c. 24. 25. 26. 27.

Hanc de lucro facto in Alearum ludo quæſtionem ſatis diffusè ſcribit Didacus Couarruuias, & præſertim Ioannes Azorius, qui vtriuſque opinionis Auctores recitat, & ad opinionem vtramque declarandam, Notanda quædam, atque octo Quæſita ad hanc rem pertinentia in medium affert, multaque alia

ſcitu digna de vetito Alearum ludo quattuor capitibus comprehenſa erudité declarat in quarto Quæſito hiſce verbis: *Reſtitutionis obligatio ex iure naturali non eſt quia quiſque voluntate ſua poteſt rerum dominium in alium transferre. Nec item ex iure Ciuili, quia ius Ciuile ſolum concedit, vt poſsit repeti officio Iudicis, quod eſt per ludum, lege prohibitum, acquiſitum; non autem Ius Ciuile conſtituit, vt acquiſita per ludum Aleæ in conſcientia reſtituantur.* Hæc ibi Azorius, cuius ſententia inter Theologos communior eſt, magisq. recepta. Azorius 3.p. Inſtitut. Moral.

Eccleſiæ autem Miniſtri perpendant illud, quod Sanctus Bernardus in Sermone ſuper Cantica de Clericis, & Miniſtris Eccleſiæ, ita inquit: *Timeant Clerici, timeant Miniſtri Eccleſiæ, qui in terris Sanctorum, quas poſsident, tàm iniqua gerunt, vt ſtipendijs, quæ ſufficere debeant, minime contenti, ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè, ſacrilegèque ſibi retineant, & in vſus ſuæ ſuperbiæ, atque luxuriæ victum pauperum conſumere non vereantur; duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & ſacris, in ſuis vanitatibus, & turpitudinibus, abutuntur.* S. Bern. Ser. 23. To. 1.

Sanctus deniq; Bernardus in Epiſtola ad Fulconem puerum, poſtea Ligonenſem Archidiaconum, de ipſo tamquam Eccleſiæ Mi- S.Bern. Ep. 2. To. 2.

niſtro in hanc loquitur verborum formam: *Conceditur ergo tibi, vt ſi benè ſeruis, de Altario viuas, non autem de Altario ſuperbias, vt inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia, griſeaque pellicea, à collo, & manibus ornatu purpureo diuerſificata. Denique quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, Sacrilegium eſt.*

Notandum.

Hæc ad verbum S. Bernardus, qui quamuis dum de malo bonorum Eccleſiaſticorum vſu loquitur, nullam faciat mentionem de ijs, qui in Alearum ludo à Lege Canonica, & Ciuili vetito, & non ſolum à ſanctis Doctoribus, & ab alijs Chriſtifidelibus, ſed etiam ab Ethnicis tantoperè damnato, dicta bona cõſumunt; hoc tamen ſubintelligendum omninò cenſetur: quia ſi omne ſuperfluum, quod à Clericis, & Miniſtris Eccleſiæ de bonis Eccleſiaſticis, præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum retinetur, & non in pauperum victum, ſed in vſum vanum conſumitur, rapina, & ſacrilegium à ſancto Bernardo nuncupatur, multò magis iſtuc ipſum affirmandum eſt de eo, quod in huius generis ludo tam deteſtando conſumi ſolet. Ludentes igitur tali ludo Eccleſiaſtici Viri, verba ſancti Bernardi

per-

perpendant. Omnes item, quicumque illi ſint, ad Alearum ludos proni, aut procliues, ad memoriam excitent, & frequenter quidem dictum illud Catonianum perpulchrum, & diuulgatiſſimum:

Catonis dictum: Trocho lude Aleas fuge.

Trocho lude, Aleas fuge.

Trochus eſt vox Grçca, &, vt inquit Acron turbo eſt, qui à ludentibus pueris ſcutica agitatur, & rotatur: Eſt enim inſtrumentum ligneum figuræ pyramidalis funiculo à pueris agitari conſuetum. De hoc Trochi ludo loquitur etiam Martialis libro 14. & Horatius de Arte, et in libro Carminum, vt iam diximus; Trocus autem ab Italis vocitatur *Trocolo*, & *Trotola*; *Pirla*, e *Pirlo*, e *Moſcola*; ab Hiſpanis *Trompo*, à Gallis *Sabat*, à Germanis *Eintopff*: quoniam verò Trochus eſt puerorum ludus; Latrunculos, quos vulgò Scacchos vocant, Viris animi recreandi, vel otium præſertim fugiendi gratia, propono, loco tamen licito, ac tempore decenti ſeruato, vt infra, & fuſius quidem dicemus.

Acron Grãmaticus, & Horatij interpres. Martialis lib. 14.

Hor. in Arte Poetica, & lib. 3. Carm. Ode 24.

De licito Latrunculorum Ludo antiquitus inuento Alearum loco, & de inuentore ipſius Ludi.

ALearum loco ludus Latrunculorum, qui vulgò *Scacchi* vocitantur, antiquitus pro militibus in longa obſidione detentis, otium conſumandi gratia inuentus, exerceri poteſt interdum, vt infra oſtendemus.

De Latrunculorum ludo ſub Calculorum nomine Alexander ab Alexandro Iuriſperitus, & Vir, vt aiunt, exquiſitè doctus; loquitur in tertio Genialium dierum libro, in quo dictum ludum præcipuum apud antiquos fuiſſe ait, & cur Calculos, aut Latrunculos, Latrones dictos olim fuiſſe declarat in hæc verba: *Ludus Calculorum, veteribus præcipuus fuiſſe traditur, qui & Latrones dicti: hi enim in duas diuiſi Turmas erant colore diuerſi, quorum alij Milites, alij Hoſtes: Horum luſus erat, vt Turmis inſtructis, velut qui congredi acie parant, hinc inde ſub Hoſtium imagine procederent à præſcripto fine, quoad quiſque progredi debeat; ita cauere oportebat, vt dum Hoſtem quiſque inuadere nititur, alterius non pateat incurſibus, qui etiam ex gemma fuere, Viris, & Mulieribus frequens, à melioribus, &*

Alexander lib. 3. Genial. dierum c. 21.

ſum-

ſummis honoribus, vel maxime cultus, & celebratus, quem Palamedes, Nauplij Eubœæ Regis Filius, vir ingenioſus, & aliarum rerum inuentor (vt in libro noſtro, qui Bibliotheca Vaticana inſcribitur, diffusè probauimus) *inueniſſe proditur ad comprimendas otioſi exercitus ſeditiones*.

Palamedes Inuentor Latrunculorũ,

Bibliot. Vaticana pag. 123. & ſeq.

Hæc Alexander, (parentheſi excepta) ex cuius verbis confirmamus illud ipſum, quod nuper diximus; ludum ſcilicet Latrũculorum antiquitus pro Militibus in longa obſidione detentis otium conſumandi gratia fuiſſe inuentum.

Andr. Tiraq. in lib. Gen.

Cur autem dicti Calculi, (quos vulgò Scacchos appellamus) Latrones, & diminutiuè Latrunculi vocitentur, explicare neceſſe eſt. *Latro* namque (Feſto Pompeio Auctore) vocitari ſolebat ille, qui conductus militabat quaſi λατρεύων, ideſt, ſeruiens: eſt enim λατρεία, ſeruitus.

Feſt. Pomp. de Verborũ ſignific.

Propterea Plautinus miles dixit: *Latrones, quos conduxi*, hoc eſt, Milites. Et in Pœnulo vſus eſt verbo, *Latrocinari*, pro ſtipendio præſente militari. In Trinummo item dixit: *Latrocinatum ire*, ideſt, ad militandum. In Curculione pro mercede militari dixit: *Latrocinatus annos decem, mercedem accipio*. Hæc Plautus dictis in locis.

Plaut. in Milite.

In Pœnulo in Trinũmo, & in Curculione.

Verum, quia (vt Ioannes Fungerus ait) hos milites mercede conductos Imperator, & Principes

Io. Fungerus in Etymologico trilingui.

circa ſe habere,& primos ad omne diſcrimen mittere ſolebant, Milites dicti fuerunt, vt Varroni placet, *Latrones*, quaſi *Laterones*, quippe, qui tamquam ſatellites vocati Imperatoris, vel Principis alicuius latera tuebantur. Nunc autem permutata vocabuli ſignificatione, ait Feſtus Pompeius, viarum obſeſſores appellantur Latrones, quòd à latere (inquit Fungerus cum Feſto Pompeio) adoriantur, vel latenter inſidientur, aut denique lateant, vt alios opprimere improuisò queant. Vtcumque verò ſit, Latrones, & Latrunculi, quaſi Laterones, & Laterunculi dicuntur illi Calculi, qui dicto in ludo inſtar Militum concertantium adhibentur.

Varro de verborum ſign. lib. 6.

Feſtus Pompeius de Verborũ ſignif. Io. Fung. in Etymol. trilingui.

Huius generis ludus circiter annum orbis conditi ter milleſimum 685. à quodam viro ſapiente, nomine Xerxe inuentus fuit, ſicut Polydorus Virgilius in ſecundo de rerum Inuentoribus libro ſcriptum reliquit, vt illius Tyranni, qui tunc temporis regnabat, ſæuitiam coerceret per ludum illum Scacchorum, in quo per calculos ligneos repræſentatur certamen inſtar prælij. In hoc enim ludo per Calculos illos ligneos Reges, & Reginæ, Equites, & Pedites, necnon Caſtra, ſiue Arces, hoc eſt, loca munita Ciuitatum repræſentan-

Latrunculorũ inuentor.

Polyd. lib. 2. cap. 2.

tur,

tur, atque inſtar concertantium præliantes in Fritillis, aut Alueolis, hoc eſt, in Tabulis luſorijs de Caſula in Caſulam mouentur. Hunc autem Latrunculorum, ſiue Scacchorum ludum, Xerxes excogitauit, quippe qui ob ſæuitiæ metum non audebat apertè monere officij ſui Tyrannum, ſed Scacchorum ludo, ſiue certamine, illum tacitè monuit, Maieſtatem Regiam ſine hominum viribus, & adminiculis, nec valere, nec tutam fore, Regemque ipſum facilè oppreſſum iri, niſi inuigilaret, & à ſuis defenderetur. Quæ ſanè omnia in illo Scacchorum ludo, ſiue certamine, inſtar prælij excogitato, facilè demonſtrantur. Nunc reliquum eſt, vt explicemus, vnde dicatur hoc nomen, *Scaccho*, ideſt, quænam ſit vox.

Xerxes Latrunculorũ Inuentor ex Polydoro Virgilio.

Scacchorum vox quænam ſit.

Scacchi non à ſcandendo, vt Polydorus Virgilius opinatur, dicuntur; ſed, vt ait Petrus Gregorius Tholoſanus, in Syntagmate Iuris Vniuerſi, eſt vox Hebraica, Hebræorumque inuentum ipſius ludi eſſe videtur, ſicut hæ voces, *Scacchi*, & *Mathi*, quibus ipſe Scacchorum ludus perficitur, oſtendunt. Nam in ludo illo quando Rex ita vallatur, vel obſidetur,

Greg. Tholoſ. p. 3. lib. 39. c. 4. pag. 464.

Scach vox Hebraica.

vt à ſede ſua egredi cogatur, *Scach*, dici ſolet, quia, *Scach*, Hebræis eſt, *vallauit*, vel *ſepiuit*. Sed quia *Math*, vel *Moth*, apud Hebræos dicitur mortuus; quando Rex in eodem ludo eſt omninò obſeſſus, & immobilis redditur; vt mortuus, dicitur, *Scach Math*; Italicè autem, & corruptè quidem *Scaccho Matto*; & ita ludus finitur. Hæc ex Gregorio Tholoſano.

Moth, vel Math vox Hebraica.

Quamuis autem Latrunculorum, ſiue Scaccorum ludus ab Hebræis inuentus dicatur, vſus tamen illius perantiquus Romę cenſetur. De hoc enim ludo ſub nomine Latronum facit mentionem Martialis in hæc verba:

Mart.lib.14. Epigr.20.

Inſidioſorum ſi ludis bella Latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Mecænas, & Q. Galba, inſignes, & eruditi Viri, Latronum, ideſt, Latrunculorum, ſiue Scacchorum colluſores eſſe nonnunquam ſolebant, vt Gilbertus cognatus in Sylua Narrationum refert. Nam in ipſo ludo, & quidem ingenuo, non ſors, aut fortuna dominatur, ſed ingenium. De hoc eodem ludo ſub nomine Calculorum loquitur Plinius Iunior in Epiſtola 24. libri ſeptimi, eumque pro animo recreando exerceri ſolere ait. De hoc

Gilber.lib.3. in Sylua Narrationum.

Plin. lib. 7. Ep. 24.

item ludo mentionem ſub nomine Latrunculorum facit Seneca in libro de Animi tranquillitate cap. 14. In libro de breuitate Vitæ cap. 13. in Epiſtola 106. & in Epiſtola 117. ſed in Epiſtola 106. ita inquit: *Latrunculis ludimus, & in ſuperuacuis ſubtilitas teritur*, quaſi dixerit: Fruſtra laboramus, dum ingenia noſtra exercemus. In hoc enim ludo, vti ſæpe iam diximus, non fortuna, ſed ingenium dominatur.

De Latrunculorum, ſiue Scacchorum ludo non vetito, animi recreandi, vel otium fugiendi gratia interdum exercendo iuxta inſignium Scriptorum Sententias.

ABbas Panormitanus in tertio libro Decretalium poſt multa inquit: *Ex his, & ex textu infertur, ludum Scacchorum Clericis non eſſe prohibitum, & fortius nec Laicis: quia hic ludus conſiſtit in ingenio.* Hæc Abbas. Latrunculorum itaque, ſiue Scacchorum ludo non vetito vnuſquiſque vti poteſt animi recreandi, vel otium præſertim fugiendi gratia, loco tamen licito, ac tempore decenti ſeruato. In hoc enim ludo non ſors,

Abbas Panormit. in 3. Decretalium cap. 15. to. 6.

vel

vel fortuna, ſed ingenij vis, vel induſtria dominatur, malis omnibus, quæ nuper fuerant enarrata, excluſis. Quamuis autem hæc ſeſe habeant; Petrus tamen Damianus Ordinis S. Benedicti, Epiſcopus Oſtienſis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis; Vir in diuinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, & ſecularium litterarum non ignarus, non minuſque ſanctitate, quàm eruditione clarus, in Epiſtola ad Alexandrum II. Pontificem, & Hildebrandum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem conſcripta, Scacchorum ludum ſub nomine Alearum comprehendi opinatur, dum quemdam Florentinum reprehendit Epiſcopum, quem cum turba commeantium reſediſſe, ludoque Scacchorum præfuiſſe, audiuit. Petrus namque Damianus in reprehenſione illa inter alia Epiſcopo dixit: *Rectè ne, tuique erat Officij, Veſpere in Scacchorum vanitate colludere, & manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter DEVM, & Populum mediatricem, ſacrilegi ludibrij contaminatione fœdare? Præſertim cum Canonica decernat Auctoritas, vt Aleatores Epiſcopi deponantur. Et quid prodeſt ei, quem efficaciter auctoritas damnat, etiam ſi iudicium extrinſecus non accedat?* Hæc Damianus, cui Epiſcopus reſpondit, aliud eſſe *Scacchum*, aliud

Petrus Damianus lib. Epiſt. 1. ep. x.

Petri Damiani laudes

Petrus Dam. lib. 1. Epiſt. 10. ad Alex. Papam, & Hildebrand. Card.

Epiſc. à Petro Damiano reprehenſus.

Epiſcopi reprehenſi reſponſio.

Aleam. *Aleas ergo* (ſubiungens ait) *Auctoritas illa prohibuit, Scacchos verò tacendo conceſsit.* Hæc Epiſcopus defendendo ſeſe, dixit. Contra cuius reſponſum Petrus Damianus ita inquit: *Scacchum Scriptura non ponit, ſed vtriuſque Ludi genus, Aleæ nomine comprehendit. Quapropter, dum Alea prohibetur, & nominatim de Scaccho nihil dicitur, conſtat proculdubio vtrumque genus vno vocabulo comprehenſum, vnius ſententiæ Auctoritate damnatum.* Hæc Petrus Damianus, qui ſub Alearum nomine, Scacchorum etiam ludum comprehenſum eſſe omninò affirmat, magno Chriſtianæ Religionis, & Epiſcopalis dignitatis zelo commotus, quippe qui dictum Epiſcopum cum turba commeantium reſediſſe, Scacchorum ludò præfuiſſe audiuit. Quod profectò Epiſcopi cum turba publicè factum, ſi penſitetur, talem merebatur reprehenſionem. Epiſcopi namque manum, quæ, vt rectè ait Damianus, eſt Dominici Corporis oblatrix, & lingua inter Deum, & Populum mediatrix; talia in loco præſertim publico, quem turba illa repræſentabat, facere non decebat: *Epiſcopus enim* (vt S. Paulus in Epiſtola ad Titum ſcripta inquit) *in integritate exemplũ bonorum operũ, in doctrina, in grauitate ſeipſum in omnibus præbere debet.* Epi-

Petrus Damianus contra Epiſcopi reſponſum.

Petri Damiani reprehenſio excuſatur, & aliqua ex parte probatur.

Epiſt. ad Titum cap. 2.

ſcopus

ſcopus itaque reprehenſionem meruit ob ea, quæ in medium attulimus, quamuis ludus ipſe Latrunculorum, ſeu Scacchorum ſub Alearum nomine prohibitus nullo modo cenſeatur, vt Abbas Panormitanus ex communi Scriptorum ſententia in tertio Decretalium libro de Vita, & honeſtate Clericorum cap. 15. affirmat dicens: *Ex his, & ex Textu infertur, ludum Scacchorum Clericis non eſſe prohibitum, & fortius nec Laicis; & communiter hoc tenetur*. Idem videtur ſentire Innocentius Quartus Pontifex Maximus in Quintum Decretalium Librum de homicidio voluntario, & caſuali cap. 9. vbi Scacchorum ludum noxium non eſſe affirmat. Guido item Archidiaconus in prima parte Decretorum Diſtinctione 35. inquit: *Ludus autem Scacchorum non prohibetur; quia ibi potius humanum ingenium exercetur*. Iſtuc ipſum affirmatur à Gregorio Sayro. Gloſſator quoque in primo Codicis Libro, Titulo ſexto de Epiſcopis ait, *Scacchorum ludum Clericis prohibitum non eſſe, quia ludus ipſe in ingenio naturali conſiſtit*. Auctor etiam Summæ Armillæ inquit: *Licet ludi plures ſint Clericis prohibiti, vt Alearum, Taxillorum, ac Tabularum cum Taxillis; ludus tamen Scacchorum non eſt prohibitus, licet quidam teneant contrarium, & malè*. Martinus autem

Abbas Panorm. cap. Clerici c.15. to.6.

Scacchorum ludus Clericis vetitus nō cenſetur.

Innoc.4. lib. 5. Decretal. tit.12. cap.9.

Archidiac. p.1. Decretorum Diſt.35 Epiſcopus.

Gregor. Sayrus lib.11. c. 12. nu.4.

Lib.1. Codicis tit. 6. Interdicimus.

Summa Armilla Tit. ludus nu. 5.

Na-

Nauarrus in Manuale Confeſſariorum poſtquam dixit, Clericum, & Monachum abſque veniali peccato interdum etiã Talis, & Chartis luſorijs ludere poſſe ob honeſtam cauſam ad excitandum, & recreandum ſocium ægrotum, ea re indigentem, dummodo non frangatur lex vlla obligans ad peccatum mortale, de Scacchorum ludo ita loquitur: *Et ita contra vulgi opinionem omnium ineptiſsimus eſt ludus* Latrunculorum, *quem Itali Scacchorum, Hiſpani verò Axedrez, & Galli Eſchez vocant; quia is minus, quàm alij, animum relaxat, quamuis magis liceat, quàm aliquot alij, qui lege prohibentur*. Hæc Nauarrus, ex cuius verbis colligimus, Latrunculorum, ſiue Scacchorum ludum eſſe licitum, ſed omnium ludorum ineptiſſimum ad animum relaxandum, quia dictus ludus non in ſorte, aut fortuna, ſed in ingenio conſiſtit.

Nauar. c. 19. n. 3. circa finem.

Scacchorum ſiue Latrunculorum ludus ineptiſsimus pro animo relaxando, ſed licitus.

Huc ſpectat illud, quod Petrus Andreas Canonherius Philoſophiæ, Medicinæ, & Sacræ Theologiæ Doctor in ſecundo libro de Curioſa doctrina ſcriptum reliquit in hanc verborum formam: *Qui hoc ludo Latrunculorum amittunt, eorum perturbatio non aliunde exoritur, quàm ex ammiſsione, quæ cum præcipuè, ac totaliter fundamentum habeat in noſtro intellectu*,

Canonherius lib. 2. c. 2.

ac mente, animum triſtitia quadam permoleſta vehementer afficit: Hic enim cognoſcitur, quinam acutiori intellectu polleat; quod de nulla alia re certò ſciri poteſt: omnes enim alij ludi, vel fortuna, vel aliquo iudicio, vel mixti ſunt; ſed iſte totum hominis iudicium exigit. Hæc Canonherius, qui Nauarri ſententiam, quantum ad animi relaxationem in Latrunculorum ludo, comprobare videtur.

Hæc de Alearum, & Latrunculorum ludis. Nunc reliquum eſt, vt eorum omnium, quæ dicta ſunt, in hoc Libello conficiamus Epilogum, ex quo eorumdem Summa, ſiue Concluſio facilius memoriæ mandari poterit.

Epilogus, & Concluſio dictarum præſertim rerum, quæ in duobus Quæſitis iam explicatis comprehenduntur.

HAec de Alearum ludo iuxta leges Canonicas, & Ciuiles tàm ab Ethnicis, quàm à Chriſtifidelibus, ſacrorumq. Conciliorum Decreta vetito; necnon iuxta ſanctorum Patrum ſententias, & aliorũ Auctorum inſignium ſcripta mihi dicenda viſa ſunt.

Quoniam verò huius generis ludus etiã ſub pœnis vetitus, vt ſuperius dictum eſt, mortale peccatum non ſemper eſſe cenſetur, & lucrũ in eo factum non ſemper, neque cuilibet reſtituendum eſſe iudicatur; Duo illa Quæſita, ad mortale peccatum, & lucrum reſtituendum pertinentia, iam in medium allata, & diffusè quidem explicata, hoc loco ſummatim, ac breuiſſimè ſunt complectenda, vt dictarum rerum Summa tamquam Concluſio facilius memoriæ mandari queat.

De peccato in ipſis ludis facto Concluſio.

QVamuis Alearum ludus ſecundum ſe non cenſeatur malus, ex adiunctis tamen malis circumſtantijs malus reddi poteſt: quia ex quauis mala circumſtantia, aut defectu, actus humanus redditur malus, vt ſanctus Thomas Doctor Angelicus cum Dionyſio inquit. Quamuis item dictus ludus ad eutrapeliæ virtutem reduci poſſit, frequentius tamen, & ferè ſemper lucri auiditate fieri ſolet; hinc eutrapelia ipſa exerceri non poteſt: Nam eutrapelia, quæ apud Græcos, & Latinos vrbanitatem, leporem, iu-

S.Th.1.2.q.18.art.4.ad 3.
Dionyſ.c.4. de diuinis nominibus.

Eutrapelia quid ſit.

cunditatem, feſtiuitatem, comitatem, & faceтiam honeſtam ſignificat, non fit ſeriò, ſed iocosè, præſertim verò in verbis, aut factis ludicris, vt ait ſanctus Thomas Doctor Angelicus: in Alearum autem ludo, dum pecuniarij lucri & præſertim magni auiditate, non iocosè, ſed ſeriò luditur, eutrapeliæ virtus exerceri non poteſt; immò Ariſtoteles in quarto Ethicorum libro capite primo, Alearum ludum ait eſſe turpem, & lucri acceptionem illiberalem appellat; Aleatores verò inter fures, ac latrones connumerat ob peccata illa maxima, quæ in eo fiunt, vti ſuperius demonſtratum fuit. Quare Ariſtoteles in eodẽ libro cap. 4. Alearum ludum ad eutrapeliæ virtutem reduci non poſſe, intelligere videtur. Quando item ſanctus Thomas in 2.2. quæſt. 168. Art. 2. ex Ariſtotelis verbis, Eutrapeliæ virtutem circa etiam ludos poſitam fuiſſe ait, hoc nonniſi de ludicris verbis, aut factis, quæ non ſeriò, ſed iocosè fiunt, intellexiſſe iudicatur: & ita Ariſtotelis verba intelligẽda ſunt; adhibitis conditionibus alijs, quas ſanctus Thomas in Articulo 2. & 3. docet, debere concurrere ad eutrapeliæ virtutem; ſin ſecus, ipſe Philoſophus in primo capite quarti libri Ethicorum ſibi metipſi refragaretur, ſiue contradiceret, dum

S.Th. 2. 2. q. 168. art. 2.

Ariſtoteles Ethic. vel Nicomach. Moral. lib. 4. c. 1.

S. Thom. in 2. 2. q. 168. art. 2.

S.Thomas.

Alearum ludum turpem eſſe inquit, Aleatoreſque ipſos inter fures, & latrones connumerat, & lucri acceptionem illiberalem appellat. Eutrapeliæ itaque virtus in Alearum ludo eſſe vix poteſt, dum lucri pecuniarij, & præſertim magni luditur auiditate, ob quam, vti iam diximus, multa interdum oriuntur mala, & quidem magna. Propterea S. Cyprianus Aleæ ludum Chriſtiano homine minimè dignum, quatenus Diaboli cum idololatria inſtitutum, & alueum mali, & mortale crimen eſſe affirmat. Sanctus item Raymundus multis rationibus Alearum ludũ mortale peccatum, & quidem graue eſſe oſtendit, vt ſuperius ex doctrina eorumdem Sanctorum, & ita eſſe, concluſum fuit. Attamen, vt ait Nauarrus, non eſt ſemper mortale peccatum, præſertim verò, vt ipſe inquit, dum potius honeſtæ recreationis cauſa, quàm lucri, & paruo quidem tempore luditur, nullius rei pecuniariæ lucro propoſito, vel ſolum alicuius eſculenti, vel poculenti, quod bis lucrifactum ſemel ſoluatur; vel ſpirituali lucro precũ aliquarum pro vincente à victo dicendarum. Quamuis verò huius generis ludorum prohibitiones in deſuetudinem abijſſe videantur; Tridentina tamen Synodus dum loquitur de Aleis, & ſe-

S. Cypr. to. 3. pag. 492. in Argumento Tractatus.

Nauar. c. 19. n. 3. Manual. confeſſ.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. De reform.

cula-

cularibus negotijs fugiendis ab Eccleſiaſticis Viris, decernit, vt ſub ijſdem, & maioribus etiam pœnis ab Ordinario dictæ Sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum prohibitiones in vſum reuocentur, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ſicut ſuperius diffusè dictum fuit. Propterea dicta reuocatio ab omnibus Eccleſiaſticis cuiuſcumque ſtatus, vel conditionis hominibus diligenter conſideranda, & memoriæ mandanda cenſetur.

Decreta deſueta in vſũ reuocanda.

Concluſio.

De lucro facto in Alearum ludo.

LVcrum in Alearum ludo factum reſtituendum cenſetur non ſolum quando quis fraudulenter lucratus eſt, vt ait S. Thomas in 2. 2. verum etiam quando ludens lucrum ſuſcepit à victo, qui rem ſuam alienare non poterat, cuiuſmodi ſunt Filij Familiæ; necnon Religioſi, & Moniales. Cuinam verò huius generis lucrum reſtitui debeat; Quando item de tali lucro eleemoſyna fieri debeat, iam ſuo loco ſatis diffusè declaratum fuit. Hæc ex Doctore Angelico, & ex

S. Th. q. 32. art. 7. ad 2.

alijs Doctoribus, quos in duobus illis Quæſitis in medium attulimus.

Lucrum igitur in vetito Alearum ludo factum reſtituendum eſt, Diſtinctionibus, quas iuxta doctrinam Theologorum, & Sanctorum Doctorum in medium attulimus, penſitatis, & obſeruatis.

Denique iuxta Theologorum doctrinam ludentes cum Filijs Familias, cum Seruis, Ancillis, & Vxoribus, cum Religioſis, & Monialibus, & Beneficiatis, lucrum, quod ab eis in ludo acceperunt, reſtituere debent Patribus, & Maritis, vel Tutoribus eorumdem; necnon Superioribus Perſonarum Eccleſiaſticarum: Tales enim Perſonæ ſuper illis bonis nullum ius habent, vt ait Verratus in Catonem. Io. Verratus Hæc autem ſunt perpendenda ab Eccleſiaſticis Viris, qui bonis Eccleſiaſticis potiuntur: Talia enim bona nō in prophanum, ſed in vſum honeſtum ſuum, necnon in ſanctum, & pium vſum conuerti debent, ſeruatis ſeruandis.

Præterea ex iure naturæ iuxta Canones, ac Theologorum doctrinam decretum eſſe cenſetur, vt ille, qui lucratur ab eis, qui dominium, & adminiſtrationem rerum non habent, vero domino, aut adminiſtratori re-

ſtituere debeat, quod lucratum eſt.

Serui in bello capti, qui mitius tractandi ſunt, ſibi acquirunt quidquid eis donatum eſt, aut legatum, aut licitè ludendo lucrantur. Sed ſerui empti, hoc eſt, qui ſeipſos vendiderunt, non item: hi enim, teſte Ludouico Lopez, quidquid ſunt, ipſius domini eſſe dicuntur. Ideo quidquid acquirunt, vel lucrantur, ipſi domino acquirere, ac lucrari cenſentur.

Lopez p. 2. Inſtruct. Cōſt. c. 33.

Conclusio de Alearum Ludis deteſtandis, & euitandis.

VT denique tot pericula, tot damna, tot mala, tot peccata, tot blaſphemiæ, totque nefanda ſcelera ex Alearum præſertim ludis naſci conſueta, euitentur, Aleas deteſtandas, & ſub pœnis vetitas à ſacroſanctis Concilijs, necnon à Canonica Lege, ac Ciuili tàm Theologorum, quàm Sanctorum doctrina illuſtratis, & celebratis, quicumque ille ſit Laicus, omninò fugiat, ac deteſtetur, præcipuè verò Vir Eccleſiaſticus, qualibet etiam dignitate inſignitus, cui non ſolum Aleis ludere, verum etiam huiuſmodi

Ludo intereſſe, ſiue huius generis Luſores inſpicere, vetitum eſſe cenſetur iuxta Innocentij III. Pont. Max. ſententiam, in tertio Decretalium Libro dicentis: *Ad Aleas, & Taxillos Clerici non ludant, nec huiuſmodi Ludis interſint.* Hæc Innocentius dicto in loco.

Innocentij III. Sententia.

Concluſio de Ludo *Scacchorum, ſiue* Latrunculorum.

SCacchorum denique Ludo, nec Lege Canonica, nec Ciuili, nec à Sacroſanctis Concilijs vnquam vetito, vnuſquiſque vti poteſt animi recreandi, vel otium præſertim fugiendi gratia, loco tamen licito, ac tempore decenti ſeruato: In hoc enim ludo, vti non ſemel diximus, non ſors, vel fortuna, ſed ingenij vis, vel induſtria dominatur, malis omnibus, quæ ex Taxillis, & Chartis luſorijs euenire ſolent, excluſis.

Nunc denique, vt finem dicendi faciamus, præſcriptam Innocentij III. Pontificis Maximi ſententiam, tamquam ſigillum huic noſtro Commentario, ad Omnipotentis DEI, ac Deiparæ Mariæ ſemper Virginis gloriam,

& Sanctorum omnium honorem, necnon ad Vniuerſi Chriſtiani Orbis, præſertim verò Eccleſiaſticarum Perſonarum beneficiũ conſcripto, cenſui apponẽdum, & ita pro fine appoſitum eſſe volo cum alijs Doctorũ Sanctorũ ſententijs diffusè ſuperius enarratis, hic autẽ breuiſſimè, vt faciliùs memoriæ mãdentur.

Sententia Innocentij III. Pont. Max.

Pag. 81. AD Aleas, & Taxillos Clerici non ludant, nec huiuſmodi Ludis interſint.

Sententia S. Cypriani inter alia ſuperius enarrata.

Pag. 25. 77. ALea, Diabolicum cum Idololatria inſtitutum, eſt Alueus mali, & ſupplantatio amici. Alea ne luſeris, vbi luſus nociuus eſt, & crimen mortale; vbi dementia, ſine conſideratione; vbi nulla veritas, ſed mendaciorum mandra.

Sententia S. Raymundi inter alia multa ſuperius enarrata.

Pag. 51. 54. DE Ludo Aleæ teneas, quòd illi, qui ludunt ad Aleas, vel Taxillos, vel qui Lu-

do interſunt, vel ſunt participes, vel inſpectores Ludi, peccant, & maximè ſi ſunt Clerici. *Et infra:* Collige, quòd tale peccatum ſit mortale, & graue, cum tales pœnæ non ſint imponendæ pro leui crimine.

Sententia S. Bernardi ad Eccleſiæ Miniſtrum poſt multa ſuperius enarrata:

DEnique quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, Sacrilegium eſt. Pag. 61. 62.

FINIS.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

EGo Frater Gregorius Nunnius Coronel Luſitanus Ordinis Eremitarum Sanƈti Auguſtini profeſſor, & Sacræ Theologiæ Doƈtor, ex commiſſione Reuerendiſſ. Patris Sacri Palatij Magiſtri, quàm maxima potui diligentia legi, & expendi hunc Cõmentarium de vetito Alearum ludo, compoſitum à Reuerendiſſ. Domino Fratre Angelo Roccha Epiſcopo Tagaſtenſi, & Apoſtolici Sacrarij Præfeƈto, in quo nihil reperi, quod vel Fidei Catholicæ, vel bonis moribus, Sacrorum Conciliorum Decretis, aut Sanƈtorum Patrum diƈtis (meo iudicio) repugnet: quin potius continet aliqua, quæ Authoris eruditionem, & pietatem non obſcurè oſtendunt; dictumque Commentarium impreſſione dignum reddunt. In quorum fidem, & c. Die xiix. Aprilis M. DC. XVI.

Idem qui ſupra manu propria.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1896

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Petronius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

INDEX RERVM · PRAECIPVARVM,

Quæ in Commentario comprehenduntur.

A

ABBAS Panormitanus ex communi Scriptorum ſententia in tertio Decretalium libro Latrunculorum ludum, nec Laicis, nec etiam Clericis prohibitum fuiſſe affirmat. 69.72.
Addicere, eſt vendere plus offerenti. 48
Aegyptius quidam Dæmon, ideſt ſapiens nomine Theuth, multarum rerum inuentor. 6
Alearum nomina diuerſa. pag. 2. *& ſeq.*
Alearum inuentor, & nomen. 5
Alea pro Chartis luſorijs. 2. 3
Alea metaphoricè ſumpta quid ſit. 3
Aleam iacere, & Aleam, emere, ac ſubire quid ſit. 3
Alea, Miles quidam vocitatus: & Alea, Ciuitas Archadiæ nuncupata. 5. *& Alea Mineruæ cognomen.* 6
Alea, Vrbs Arcadiæ. 5. 6
Alea, cognomen Mineruæ. 6
Aleæ nomen vnde dicatur, & & quid ſignificet apud Græcos. 6
Alearum ludus quomodo malus reddatur. 7
ob malas ipſius ludi circumſtantias mirum in modum à Doctoribus ſanctis dãnatus, & prohibitus nõ ſolùm à Chriſtianis, verum etiam ab Ethnicis. ibid.
Alearum ludus Ciuilibus legibus etiam ab Ethnicis vetitus, & maiorem in modum damnatus. 8. *& ſeq.*
Aleator (inquit Seneca) quanto eſt in arte melior, tanto eſt nequior. 10
Alearum Ludus à Chriſti Fidelibus vetitus. 11. *& ſeq.*
Alearum Ludus à Iuſtiniano Imperatore vetitus. 13
Alearum Ludus quomodo ſine vlla culpa etiam veniali à

Cleri-

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

Clericis, Religioſis, & Monachis exerceri poſsit. 12. & ſeq.
Alearum luſus, antiqua res eſt. 13.
Alearum Ludus Canonica Lege, atque Concilijs vetitus. 10
Alea ludendi conſuetudo, quamuis à pœna temporali exeuſaret, à pœna tamen gehennali non excuſat. 22
Alearis ludus eſt Alueus mali, mendaciorum mandra, Diaboli inſtitutum, & mortale crimen iuxta ſententiam S. Cypriani. 25.77
Alea eſt mendaciorum, & periuriorum mater. 26.27
Alearum Ludos omnia Iura diuina, & humana mirum in modum execrantur. 26
Aleatorem Lucenſem, qui Deiparæ Mariæ ſemper Virginis Imaginem murò pictam ſaxo percuſsit, terra ſeſe aperiens in profundam voraginem deglutiuit. 31
Aleatoris blaſphemi conuerſio. 33
Aleatoris blaſphemi interitus, ictu inuiſibili vulneratus. 38
Aleator blaſphemus in Saxoniæ partibus ictu inuiſibili percuſſus, & vulneratus, cecidit in terram mortuus, & omnia inteſtina, ſiue interiora ſui corporis cernebantur. 38
Aleator blaſphemus miraculosè captus, fuit decollatus. 38. 39. 40
Alearum ludus quid in ſe contineat. 45
Alearum nomina, & cur earum Ludi iure vetiti legantur. 45. 49
Alearum quorundam inſania, & calamitas admiranda, & penè incredibilis in Germania. 47. 48
Alearis ludus quonam modo fiat mortale peccatum. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. & 56.
Annorum præſcriptio. 14
Apoſtolorum Canones à Sancto Raymundo in medium allati, & declarati ad probandum, quomodo in Alearum ludo fiat peccatum mortale. 53. & ſequ.
Athalus Alearum inuentor. 5

B

S. Bernardi ſententia de bonis eccleſiaſticis. 61.62 concluſio eiuſdem talis eſt:

Denique quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt ſacrilegium eſt. 62. 83
S. *Bernardi ſententia de Alearum ludis.* 61. 62. 83
Blaſphematoris, & Aleatoris interitus. 38
Brabantiæ in Ciuitate, quæ Louanium appellatur, magnum fuit miraculum contra Alearum Colluſores blaſphemos. 35
Bramans Architectus, & Pictor inſignis Eccleſiam ædificauit tempore Ludouici Sfortiæ Ducis Mediolani in honorem Imaginis Deiparæ Mariæ ſemper Virginis in ſinu geſtantis Filium. 43

C

Caeremoniarum liber antiquus a Benedicto Canonico Sancti Petri conſcriptus, Guidone de Ciuitate Caſtelli Cardinale poſtulante, qui ad Summum Pontificatum aſſumptus, Caleſtinus II. dictus fuit. 16
Calculorum, ideſt, Latrunculorum, ſiue Scacchorum colluſores fuerunt etiam Mecænas, & Q. Galba, Viri eruditi, & inſignes. 68
Canonum Sanctorum Apoſtolorum liber à Græca lingua in Latinam translatus a Gentiano Herueto, & Commentarijs Theodori Balſamonis explicatur. 19
Canones Apoſtolorum à S. Raymundo in medium allati, & declarati ad probandum, quomodo in Alearum ludo fiat peccatum mortale. 53. & ſeq.
Catonis dictum. 28. 63
Catonis dictum: Trocho lude, Aleas fuge. 63
Chartæ luſoriæ ſub Aleæ nomine vocitantur. 3
Chriſtianus, & Iudæus colluſores à Deo puniti. 34
Chriſtus Dominus in forma hominis incogniti apparuit contra blaſphemos Colluſores Alearum. 35
Clericis, vt ait Abbas Panormitanus in lib. 3. Decretalium, Scacchorum ludus nunquam fuit prohibitus. 69. 72
Commentarij totius vniuerſæ ſubſtantiæ: pag. 1
Communionis priuatio eſt excommunicatio. 19. 54

Con-

Concluſio dictarum rerum, quæ in duobus Quæſitis iam explicatis comprehenduntur. 74
Concluſio de Alearum ludis deteſtandis, & euitandis. 80
Concluſio de ludo Latrunculorũ, ſiue Scacchorum. 81
Cubi, *Tali*, *Taxilli*, & *Teſſeræ explicantur.* 2. 3
Cubitus triplex declaratur. 31
S. Cypriani *ſententia de Alearum ludis.* 25. 77. 82

D

Dadi, Cubi, Tali, Teſſeræ, & Taxilli *quomodo ſint idem.* 2. 3
Decreta deſueta in vſum reuocanda. 22
Deiparæ Mariæ ſemper Virginis Imago ab Aleatore Lucenſi, percuſſa, quattuor ſimul miracula fecit. 31. 32
Dæmon quidam Aegypti, ideſt, ſapiens, nomine Theuth, *multarum rerum inuentor.* 6
Diaboli inſtitutum cum Idolo latria, mendaciorum mandra. Alueus mali, & mortale crimen eſt alearis ludus iuxta ſententiam Sancti Cypriani. 25. 77

E

Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Pace *Romæ notanda.* 28. & *ſequ.*
Et cur dicta Eccleſia ita vocitetur. 29
Hanc Eccleſiam ædificandam mandauit Sixtus IIII.
Exempla horrendorum euentuum ex ludis Alearum ſuborta. 28. & *ſequ.*
Eutrapelia quid ſit. 75

F

Florentinæ Diœceſis in Caſtro, quod vulgò Empoli vocitatur, Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis aſſeruatur gladio percuſſa à quodam Aleatore, & miraculosè cruentata. 40. 41
Moneta miraculosè cruentata. ibidem.

G

Gaſparis Riualdi Romani pium opus in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Pace Romæ factum. 30. 31
Geneſtani, quod vulgò Genaz-

zanum vocitatur, aſſeruatur ſacra Imago Chriſti Domini Crucifixi à milite quodam Aleatore in fronte, in vtero, & in cruribus vulnerata non ſine magna ſanguinis effuſione: Aleator autem ille, ac blaſphemator ab alijs militibus fuit interfectus: Enſis item ille, quo Imago ſacra fuit vulnerata, prope ipſam Imaginem aſſeruatur. 44

Græcæ voces interpretantur. 3

H

HEbraicæ voces interpretantur. 68

Hunni, ideſt, Hungari Pannoniæ Populi. 47

Hypodiaconus, ideſt Subdiaconus. 20

I

IMago S. Mariæ de Pace miraculoſa declaratur. 29. 30

Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis ſaxo percuſſa, vulgò, la Madonna del Saſſo, vocitatur. 32

Imago Chriſti Domini vulnerata Geneſtani, vel Genazzani aſſeruatur. 44

Innocentius VIII. ob ſalutem ſibi reſtitutam Altare maius cum ornamento conſtruendum curauit Romæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Pace. 29. 30

Innocentij III. ſententia de Alearum ludis. 81. 82

Io. Azorij ſententia inter Theologos communior, magiſque recepta de lucro facto in Alearum ludo. 60. 61

Io. Verrati ſententia de peccato, & lucro facto in Alearum ludo iuxta Eccleſiæ decretum. 59

Iudæus, & Chriſtianus colluſores à Deo puniti. 34

Iuſtinianus Imperator quinque Ludos licitos inuenit, Alearum Ludo vetito; & in illis vltra vnum Solidum ludere non permiſit, etiam ſi ludentes multum diuites forent. 13. 14. 18. 56

L

LApis lydius, vel paragonius quid ſit. 30

Latrones, & quaſi Laterones, & Latrunculi cur ita dicantur Scacchi. 64. 65. 66

Latrocinari pro militare ; & Latrones pro Militibus , dici ſolebat à Scriptoribus antiquis. 64. 65
Latrones inſidioſi pro Scacchis antiquitus dicebantur. 68
Latrunculi ſunt, qui vulgò Scacchi dicuntur, cur liciti, & honeſti dicantur. 46
Latrunculorum ludus antiquitus inuentus, & eius inuentor: & eſt ludus licitus. 64. *& ſeq.*
Latrunculorum diuerſa nomina, & vulgò Scacchi dicuntur. Et cur Latrunculi, & Latrones dicantur. 64. 65. 66
Latrunculorum inuentor fuit Xerſes *; & cur inuenit hunc ludum.* 66. 67
Latrunculorum, ſiue Scacchorum diuerſa nomina. 73
Latrunculorum, *ſiue Scacchorum ludus licitus, ſed cur ineptiſſimus pro animo recreando, ex Nauarro, & Canonberio.* 73. 74
Latrunculorum, *vel Calculorum, ſiue Scacchorum colluſores fuerunt Mecœnas, & Q. Galba, Viri eruditi, & inſignes.* 68
Latrunculorum, *ſiue Scacchorum ludus non vetitus, animi recreandi, vel otium fugiendi gratia interdum exercendus conceditur iuxta inſignium Scriptorum ſententias.* 69. *& ſequ.*
Latrunculorum ludus nec Laicis, *nec etiam Clericis prohibitus fuit, vt ait Abbas* Panormitanus *in lib. 3. Decretalium.* 69. 72
Nauarri ſententia de Latrunculorum ludo. 73
Licinius, Antonij colluſor, Alea condemnatus apud Ciceronem inuenitur. 8
Lucæ, Ciuitatis Hetruriæ, vel Tuſciæ, Aleatoris horrenda miſeria, & deſperatio, necnon inſana percuſſio. 31. *Aliud miraculum cõtra blaſphemum Aleatorem.* 32. 33. *Aleatoris blaſphemi conuerſio. ibid.* 33
Lucrum in Alearum ludo factum in tribus caſibus reſtituendum eſſe affirmat S. Thomas *Doctor Angelicus, & ex dicto lucro in tribus caſibus facto eleemoſynam fieri non debere oſtendit.* 57
Lucrum in Alearum ludo factum quomodo, & quando reſtituendũ ſit. 57. *De hac re opinimes*

diuerſæ. 59
Lucrum precum ſpirituale in Alearum Ludo faciendum. 13
Ludi à Iuſtiniano inuenti, & conceſſi. 14. 15
Declaratur, quinam fuerint illi ludi. 17. & ſequ.
Ludouici Sfortiæ Ducis conſenſu fuit Mediolani ædificata Eccleſia in honorē Deiparæ Virginis in ſinu geſtantis Filium gladio vulneratum: in cuius Eccleſiæ Sacrario aſſeruatur dictus gladius. 43. 44.
Lydius lapis, vel paragonius quid ſit. 30

M

Maſſatius Aleator, & Imaginis Chriſti Domini percuſſor, ab ipſa Imagine percuſſa miraculosè cruentatus fuit magna ſanguinis quantitate; eiuſque mira conuerſio, & ſanctitas. 42. 43. 44
Mediolani aſſeruatur Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis pictæ, & in ſinu geſtantis Filium, in gutture vulneratum ab Aleatore Maſſatio, qui ſanguinis magna quantitate cruentatus adeò condoluit, vt graui pœnitentia quattuor, & amplius annis peracta, habitum monaſticum ſuſceperit, & in eo magna vitæ ſanctitatę vixerit. 42. 43 *Dictæ Imagini ex magna Populorum deuotione, & eleemoſynis conſtructa eſt Eccleſia à Bramante Architecto, & Pictore Ludouici Sfortiæ Ducis conſenſu.* 43. *Gladius, quo dicta Imago vulnerata fuit, aſſeruatur in eiuſdem Eccleſiæ Sacrario.* 44
Micare quid ſit. 4
Miles, Alea, dictus. 5
Mineruæ cognomen, Alea. 6
Miſſa, à Summo Pontifice nunc ſolemniter cantari conſueta, retinet morem quēdam antiquum in quibuſdam Monetis, quæ ipſi Pontifici dari ſolent poſt Miſſam cantatam. 17
Moneta quænam fuerit illa, quæ antiquitus dari ſolebat Summo Pontifici pro Miſſa benè cantata. 16. 17
Moneta, in qua ſculpta eſt Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis, gladio ab Aleatore percuſſa, miraculosè cruentata cernitur Florentiæ, & in

Reliquiario aſſeruatur in Eccleſia S. P. Auguſtini cum Indulgentia quadraginta dierum ijs qui dictam Reliquiam viſitant, conceſſa. 41. 42

Morra vnde dicatur, & quid ſit. 5

& Giocare alla Morra. ibid.

N

NAuarri ſententia de peccato, quod ſit in Alearum ludo. 55. 56

Nauarri ſententia de Latrunculorum, ſiue Scacchorum ludo. 73

Eadem Canonherij. ibid.

Neapoli in Hoſpitali S. Eligij aſſeruatur Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis muro picta, & in facie vulnerata ab impio Aleatore, qui Florentiæ fuit decollatus. 38. 39. In Eccleſia S. Laurentij Ordinis S. Franciſci aſſeruatur Imago Chriſti Domini muro picta, & infra vulnus à Longino factum vulnerata fuit ab Aleatore, qui deinde in patibulo ſuſpenſus ex hac vita deceſſit. 40. Imago illa manibus ligatis repræſentata, ictu ſtatim dato, manum dextram infra vulnus admouit. 40

Notanda nouem, ex quibus S. Raymundus concludit in Alearum ludo eſſe mortale peccatum, & quidem graue. 51. 52. 53. 54

O

ONuphrius Oſtecutus Epiſcopus Florentinus conceſſit Indulgentiam ijs, qui viſitant reliquiã miraculosè cruẽtatam, in qua eſt Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis, in groſſo argenteo ſculpta, & ab Aleatore gladio percuſſa. 41. 42

P

PAlamedes Teſſerarum, vel Talorum inuentor. 5

Par impar ludere quid ſit. 4

Paragonius, vel lydius lapis quid ſit. 30

Pauli Epiſtolæ ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. 10

Pauli V. Pont. Max. auctoritate Imago Deiparæ Mariæ ſemper Virginis in locum magnificen-

ficentius ornatum translata fuit, & collocata in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Pace. 30. 31
Peccatum mortale in Alearum ludo factum iuxta S. Cypriani ſententiam. 25
Peccatum mortale, & quidē graue quomodo fiat in Alearū ludis declaratur à S. Raymundo ex nouem Notandis iuxta denique Apoſtolorū Canones. 51. 52. 53. 54
Peccatum mortale quonammodo fiat in Alearum ludis iuxta Nauarri ſententiam. 55. 56
Petri Damiani laudes. 30
Petri Damiani opinio de Latrunculorum ludo. 70
cur de hoc ludo à Petro Damiano fuit reprehenſus Epiſcopus Florentinus. 70
Petri Damiani reprehenſio excuſatur, & aliqua ex parte probatur. 71
Epiſcopi reprehenſi reſponſio. 70. 71
Plebani cuiuſdam Aleatoris in Germania moribūdi viſio ad miranda, & deſperatio. 37
Precum ſpirituale lucrum in Alearum ludo faciendum. 13
Præmium vincentis in Ludis licitis eſt vnius tantum Solidi, ideſt, Aurei, iuxta ſententiam Iuſtiniani Imperatoris; quāuis luſores ditiſsimi ſint. 13. 14. 18. 56
Prouerbia Senecæ adſcripta. 10

Q

QVæſitum primum de Alearum ludo. 49
Quæſitum ſecundum. 57
Quæſitum ſecundum, quomodo ſcilicet, & quando lucrum in Alearum ludo factum reſtitui debeat. 57. 58. 59. 60. 61
Quæſita duo de peccato, & de lucro facto in Alearum ludis. 49. 57
Concluſio rerum dictarum in duobus Quæſitis. 74. 75. 76. 77. 78

R

S. RAymundi ſententia de peccato, quod fit in Alearum ludo. 51. 52. 53. & ſeq. & 82
Ricardus communiorem, & ſecuriorem opinionem eſſe ait affirmatiuam, de lucro reſtituendo facto in Alearum ludo. 60

Ritus

Ritus antiquus, qui nunc in Miſſa à Summo Pontifice ſolemniter cantata obſeruatur. 17
Romæ in Eccleſia S. Mariæ de Pace Imago miraculoſa eiuſdem aſſeruatur. 29. 30

S

SAncti Scriptores contra Ludum *Alearum*. 25. *& ſeq.*
Scacchorum vox quænam ſit. 67
Scach, Math, vel Moth, ſunt voces Hebraicæ, & quid ſignificent apud Hebræos; & cur in ludo Scacchorum ita dicatur Italicè, Scaccho Matto. 68
Scacchorum, ſiue Latrunculorum *ludus licitus, ſed cur ineptiſſimus pro animo recreando, ex Nauarro, & Canonherio.* 73. 74
Segregare, eſt communione priuare, vel excommunicare. 20. 21
Senecæ Epiſtolæ ad Paulum, *& Pauli ad Senecam.* 10
Seneca à S. Hieronymo in Catalogo Sanctorum ponitur. 10
Senecæ ſententia de Latrunculorum, *vel Scacchorum ludis.* 69
Senecæ Prouerbia adſcripta. 10
Vide ibidem prouerbium perpulchrum de Aleatore dictum,
Sixtus IIII. Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Pace Romæ ædificandam mandauit. 29
Solidus tempore Iuſtiniani Imperatoris quænam fuerit moneta. 15. 56
Solidi quinam fuerint illi, qui antiquitus dari ſolebãt Summo Pontifici, *Cardinalibus, & alijs Eccleſiaſticis Viris ob actiones laborioſas in Eccleſijs præſtitas.* 16

T

TAli, Taxilli, Teſſeræ, & Cubi quinam ſint, explicatur. 2. 3
Tali, Taxilli, Teſſeræ, *Cubi, & Dadi quomodo ſint idem.* 2. 3
Theuth, *Dæmon quidam Aegypti, ideſt, ſapiens, multarum rerum inuentor.* 6
S. *Thomæ ſententia de lucro facto in Alearum ludo.* 57
Trocho lude, Aleas fuge. 63.
Trochus, vox Græca eſt, & ludus puerilis, eiuſdemque diuerſa nomina. 63

Vani-

V

VAenire, ideſt, vendi. 47
Voces Græcæ interpretantur. 3
Vox Scacchorum quænam ſit. 67. 68
Voces Hebraicæ interpretantur. 68

X

XErſes Latrunculorum inuentor, & cur inuenit hunc Ludum. 66. 67

FINIS.

ROMAE,
Apud Guillelmum Facciottum. M. DC. XVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE
LYON
1896

ized by Google

Digitized by Google